


PALAESTRA LATINA



Wilhelm Segeler
Valencia 10. Mai 1976

ANN. XXVI (Fasc. IV) – N. 156
M. DECEMBRI A. MCMLVI

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum Latinarum commentarii BARCINONE edendi

Pretium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 · BARCELONA

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

I N D E X

ANN. XXVI (Fasc. IV) N. 156

M. DECEMBRI A. MCMLVI

J. JIMENEZ DELGADO, <i>Lingua Latina iterum Universalis deveniat oportet</i>	193
J. BAYET, <i>De Grammatica</i>	203
A. GUERCIO, <i>Qua de causa restituere inter nationes oporteat linguae Latinae usum, quomodo autem Latinitas habitus et voces induere possit recentiores aetatis</i>	204
P. J. ENK, <i>Quae causa est, cur scientia linguae Latinae nostris temporibus vulgo tantopere imminuta sit quibusque modis augescere possit</i>	211
R. AVALLONE, <i>Latinam linguam in syntaxi, in stilo, in lexico renovemus</i>	215
P. HENRICUS PAOLI, <i>Ad Collegas Leidenses</i>	219
<i>Ad Collegas Avennicos</i>	221
L. M. SANSEGUNDO, <i>De poësi ac poëtis quid protulerint rhetores antiqui</i>	222
J. SIDERA, <i>Conventus linguae Latinae «Viventi» reddendae Avenione coactus</i>	228
J. M. MIR, <i>Nova et Vetera: Oculus, Ocularia, Microscopium</i>	237
BIBLIOGRAPHIA, Mir, Sidera, Aramendía, Molina, González	244
PALAESTRA ADULESCENTIUM:	
<i>Iterum de certamine Latino</i>	249
ARAMENDIA, <i>Esurientis bubonis fabula</i>	250
BERUETE, <i>Iugurtha</i>	252
CABALLERO, FORCANO, RUIZ, COLLELL, TORNER, LATKOVSKI, <i>Rideant pueri!...</i>	254
PAEDAGOGUS, PERNA, LATKOVSKI, MANCHO, BERUETE, <i>Curiosa et iocosa</i>	256

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

ANN. XXVI (FASC. IV) — N. 156

M. DECEMBRI

A. MCMLVI

Lingua Latina Iterum Universalis deveniat oportet

SUMMARIUM

A. — ARGUMENTA, quibus hujus rei opportunitas probatur:

- 1) Lingua Latina est mater praecipuarum linguarum;
- 2) adhiberi potest sine invidia et sine querela populorum;
- 3) fuit quondam doctorum ubique terrarum lingua;
- 4) nunc quoque in Ecclesia Catholica est lingua adhuc vivens;
- 5) est natura sua aptissima ut ab omnibus et ad omnia adhibeatur;
- 6) ceterae linguae, sive quae nunc usu vigent, sive quae arte fictae sunt, incommoda non pauca prae se ferunt.

B. — FACTA, quae ab usu linguae Latinae stant:

- 1) Societates linguae Latinae fovendae:
 - a) Societas Latina Varsaviae constituta;
 - b) Societas Latina Monacensis;
 - c) Societas «The Orbilian» in Anglia;
 - d) Societas Latine Loquentium in Foederatis Americae Civitatibus;
 - e) Consilium seu «Commissio» specialis linguae Latinae evulgandae Romae, in Instituto Studiorum Romanorum, constituta.
- 2) Certamina ad Latinos scriptores et poetas excitandos:
 - a) Hoeffftianum apud Batavos;
 - b) Capitolinum et Vaticanum.
- 3) Commentarii Latine editi:
 - a) Jam emeriti: «Vox Urbis», «Scriptor Latinus», «Alma Roma», «Candidatus Latinus», «Societas Latina» (Monacensis);
 - b) His temporibus: PALAESTRA LATINA in Hispania, «Auxilium Latinum» in Foederatis Americae Civitatibus, «Acta Diurna» in Anglia, «Gymnasium» in Columbia, «Latinitas», in Civitate Vaticana.
- 4) Conventus seu Congressus:
 - a) Romae anno 1933 Conventus Generalis Professorum utriusque juris in quo lingua Latina propria Conventus et omnium communis constituta est.

- b) Alii Conventus Universales Romae habiti, ut Conventus Religiosorum, Conventus Marianus, cet.
- c) Conventus linguae Latinae evulgandae Romae anno quoque 1933 habitus: proposita seu consilia hujus Conventus.

C. — SENTENTIAE seu testimonia:

- 1) *quae rei favent*: Valdarnini, Fornari, Bacci, Bayet, Mignon, Tondini, Aldini, Enk;
- 2) *quae contra rem agunt*: Braccensis, cet.; testimonia eorum qui antiquitatem et inopiam linguae Latinae nimium praedicant.

D. — CONCLUSIO: Docti homines lingua Latina utantur oportet omnium communi, quod tamen non fiet nisi media aptiora adhibeantur.

A) ARGUMENTA

Nuper ineunte mense septembri (2-6 sept. a. 56), Avenione in Gallia, in urbe illa toto orbe terrarum celeberrima, Conventus seu Congressus magna hominum frequentia et dignitate habitus est ad linguam Latinam fovendam magisque in dies inter doctos saltem homines evulgandam.

Hoc nempe fuit Conventus argumentum, num oporteret linguam Latinam iterum universalem devenire et quomodo. Actum est igitur *de opportunitate* et etiam *de modo*, via seu ratione, qua lingua latina in posterum possit iterum universalis devenire.

De hac eadem re Guntiae (*Günzburg*) in Germania convivale colloquium cum collegis Bavaris qui linguae Latinae dant operam habui exeunte mense septembri: disserui quoque de opportunitate et de modo. Nunc vero cum Palaestritis tantum de opportunitate agam, nam quaestio de ratione et modo magni momenti est et in aliud tempus protrahenda.

Jam vero in quaestione de opportunitate usus universalis linguae Latinae haec summatim attingam:

—Primum, argumenta quibus usus linguae Latinae ut omnium doctorum hominum communis confirmetur;

—Deinde, *facta seu indicia*, quae pro cultu Latinae linguae exstant;

—Denique, auctorum *sententias seu testimonia*, quibus lingua Latina aptior magisque ad hanc rem idonea probatur, et ea quae contra usum Latinae linguae communiter dicuntur.

Sed jam in mediam rem ingrediamur.

—

Haec prima quaestio enucleanda seu enodanda nobis est: quibus potissimum rationibus suaderi potest ut lingua Latina iterum universalis deveniat, ita ut ab omnibus saltem sapientibus usurpetur in mutuo inter se commercio, tum in generalibus conventibus, tum in disciplinis exponendis, tum in libris scientificis edendis, cet.

Res utique non nuper sed pluries jam disputata. Commentarii Pontificii «*L'Osservatore Romano*»¹, «*Latinitas*»², aliique commentarii ut «*Studi Romani*»³, «*Palaestra Latina*»⁴, «*Helmántica*»⁵, eandem quaestionem jam diu agitarunt et esse tempus asseruerunt usum linguae Latinae restituendae, quo facilius magna incommoda tot sermonum recentiorum tamque variorum vitarentur. Ipse, data occasione, semel atque iterum de hac re disputavi, atque rationes, sententias, conatus, exposui⁶ qui ad linguae Latinae usum iterum excitandum sunt feliciter suscepti.

Atque revera nec argumenta nec testimonia desiderantur quae a lingua Latina stent, quidquid aliorum sermonum fautores dicunt.

1) Opportunitas alicujus linguae communiter ab omnibus sapientibus adhibendae nemo non videt, cum aliquod quasi vinculum commercii inter populos opus sit institui. Nihil enim —dicam cum clmo. Ludovico Guercio— «nihil magis incommodum et molestum et laboriosum et praeterea ridendum quam ita ductum gravissimum colloquium inter homines patria sermoneque diversos, ut singula prolata verba, postquam multi interpretes ad obrussam exegerint, denique ad aures assidentium perveniant eaque, plus minusve detorta sententia. Num longe aliud est istud operis quam, si detur audacia verbis, alieno mucinio nasum purgare?»⁷.

Praeterea linguae vernaculae, sive Anglica, sive Hispanica, sive Gallica, sive Sinensis, —eae videlicet quae majore hominum frequentia usuque gaudent— non nisi unius gentis studiis inservire queunt; neque earum quaevis imponi oportet omnibus, ne illa superbiat cujus electus sit sermo, illae vero quarum sermo sit posthabitus parvi habere videantur communem loquelam.

Neque de fictis linguis, ex. gr. «*Volapük*» aut «*Esperanto*», ad hunc finem cogitari potest; quia, ut probat Valdarninius, «*Quaelibet lingua artificio non natura satagente condita ad omnia pertinere non potest*»⁸. Restat igitur ut ad linguam Latinam redeamus, quae communis est nonnullarum praecipuarum mater.

2) Atque hoc est alterum argumentum cur usum linguae Latinae nos his temporibus restituere oporteat; quia lingua Latina tractu temporis plurimum valuit ad ceteras linguas, non tantum ad eas quae ex ipsa lingua Latina originem

1 4 Ott. 1934: «*Il latino lingua Internazionale*».

2 *Latinitas* I (1953) 3; II (1854) 83-93.

3 *Studi Romani* I (.953) 192-196; 317-321; III (1954) 70-74, 192-196.

4 *PALAESTRÀ LATINA* IV (1933) 13-14; V (1935) 74-75.

5 *Helmántica* III (1952) 488-491; IV (1933) 25-2; V (1954) 275-281; VII (1956) 151-154.

6 Cfr antea nn. et 5; nuper in Avenionensi Conventu: «*Lingua Latina, lingua universalis*» (2-6 sept. 1956).

7 L. GUERCIO: «*Qua de causa restituere oporteat linguae Latinae usum, quomodo autem Latinitas habitus et voces induere possit recentioris aetatis*»: cfr. Acta Conventus Avennici.

8 VALDARNINI, cfr. *Alma Roma* 1935, p. 58.

ducunt, sed ad alias etiam, ut ad linguas Germanicas, in quibus vocabula et virtutes Latinae linguae vigent quoque virentque. Unde fit ut lingua Latina nemini, ut ita dicam, aliena videatur, cum civitatem adepta sit ubique terrarum, iis saltem temporibus, non longe a nostra aetate, in quibus lingua Latina omnibus doctis viris, non solum nota, sed etiam in usu communis erat ad disciplinas exponendas, ad mutuam epistulare commercium, ad libros typis edendos.

3) Tertium argumentum ad usum linguae Latinae iterum instaurandum; sit a principio illo deductum, quod sic enuntiant ii qui Philosophiae dant operam: «De facto *ad posse*, ajunt, valet illatio». Jam vero lingua Latina non multis abhinc annis communis erat, ut supra diximus, totius mundi sapientibus, qui ea utebantur in sermone et in scriptis ad res cujuscumque argumenti explanandas. Ergo, si placet, nunc quoque lingua Latina uti possumus ut cogitata et inventa nostrae aetatis recte exprimamus atque de his rebus cum aliis communicemus.

4) Adde quod lingua Latina nunc quoque viget in Ecclesia Catholica; Latine enim ubique terrarum preces fiunt cultusque et sacra peraguntur. Immo in publicis Academiis seu Universitatibus, quo alumni ex omnibus terrae dicionibus conveniunt, Latina lingua communis est. Nec tantum in Ecclesiae Universitatibus, sed etiam in aliis, quae tamen — tanta est hominum inconstantia temporumque malitia! — paucae remanserunt. Memoria digna est Universitas Groningana apud Batavos. Doctorem Enk audiamus illius Universitatis professorem emeritum: «Expertus scio linguam Latinam hodie quoque usurpari posse in operibus publicandis, in scholis academicis habendis, in epistulis scribendis, in disputando et colloquendo. Ipse inde ab anno MCMXI complures libros, quos volventibus annis foras emisi... dissertationesque quas in *Mnemosyna* et in *Latomo* publicavi, Latine scripsi, per annos viginti quinque scholas meas in Universitate Groningana Latine habui, cum multis philologis per litteras Latinas collocutus sum...»⁹.

5) Denique natura ipsa et virtutibus lingua Latina commendatur ut praeter ceteras ad linguam universalem, quam nuncupant, eligatur. Etenim linguam Latinam nobilem, flexibilem, amplissimam, aptiorem esse et ad omnium disciplinarum commercium magis idoneam ubivis, vel his ipsis temporibus, exemplis demonstratum invenies¹⁰ et sine integritatis vitio eam ad omnia nostrae aetatis cogitata et inventa adhiberi posse. «Quaenam enim — verbis utar laudati Ludovici Guercio — quaenam lingua magis quam Latina apta, tam antiqua ut sempiterna habeatur, tam recens ut cotidie toto orbe effundatur, tam majestate praestans ut ceterae linguae, vel nobilissimae atque

⁹ J. ENK, cfr. «Congrès International pour le latin vivant», Bull. 15 Mai 1956.

¹⁰ TONDINI, Cfr. *Latinitas* III (1955) 21.

dudum longe lateque propagatae, singulari prosequantur honore, tam denique docilis ut in ephobeis Romanis certent Latine de more loquit Afri, Indi, Sinenses, aliique non pauci, qui a Japonia et ab Australasia toto emenso orbe advenerunt in Urbem?»¹¹.

Ex his ergo argumentis aliisque quae facile afferri possunt, opportunum videtur fore et magni momenti ut lingua Latina restitatur atque ea civitate donetur quam prius inter doctos viros magno disciplinarum et scientiae fructu retinuit.

B) FACTA.

1) Societates linguae Latinae favendae

Qui vero harum rationum vim non percipiant, facta considerent quae nostram causam tuentur.

a) Fuerunt Societates quae sermonem Latinum instaurare curarent: Societas Varsaviae in Polonia a Dre. Zielinski moderata¹² et Societas Latina Monacensis, praeside Dre. Lurz¹³, quae tamen inter tot tantasque atrocis belli ruinas obrutae atque extinctae sunt.

b) Fuit quoque in Instituto Studiorum Romanorum «Commissio» seu Coetus quidam ad usum et studium linguae Latinae Romae constitutus¹⁴, qui magnopere enixus est ut hoc propositum consiliumque exsequeretur, Praeter Latinos commentarios, quibus nomen fuit «*Per l'uso e lo studio della lingua latina*», ita haec «Commissio» dabat operam linguae Latinae ut fas esset in omni genere disciplinarum omnia Latino verbo exprimere. Jam vero ut citius et accuratius res tantis onusta difficultatibus persolveretur, singularia prius vocabularia uniuscujusque scientiae propria sapientissimis in unaquaque disciplina viris conficienda tradita sunt. Hi opus suum perfecturi erant consilio et opera professorum et scriptorum in unaquaque disciplina clarissimorum. Quindecim simul parabantur dictionaria de re videlicet mathematica, astronomica, oeconomica, geographica, physica, geologica, medicinali, biologica, cet. Nonnulla Italice jam ordinata «Commissioni» linguae Latinae tradita sunt priusquam extremum Europaeum bellum obortum est; sed in tanta rerum et urbium eversione haec omnia perierunt.

c) Nonnullae tamen societates his temporibus ortae sunt ad linguam Latinam colendam, altera in Anglia, cui praeest Dr. S. Morris («The Orbi-

11 L. GUERCIO, ut supra in n. 7.

12 PALAESTRA LATINA, II (1932) p. 121. — Ex «*Coll. Guillaume Budé*» (Janvier 1931, p. 35) certiores facti sumus esse alios commentarios Latinos quibus est nomen «Palaestra».

13 LAMER, in PAL. LAT., V (1935) 128-129.

14 Cfr. PAL. LAT., IV (1933) 14.

lian Society», West Bromwich) de qua jam in *Helmántica* prius scripsi¹⁵, altera «Societas Latine loquentium» in Civitatibus Americae Foederatis, quorum socii sermone Latino inter se utuntur et saepe in anno congregantur ad hoc praesertim ut Latine loqui possint. De hac societate certior me fecit in Avennico Conventu Dr. Goodwin Beach, qui amplio rem notitiam petentibus libenter reddet (52 Orchard Rd. - West/Hartford, 7 - Coms U. S. A.).

2) *Certamina*

Linguae quoque Latinae usum fovent, et quidem maxime, certamina jam diu constituta vel nuper instaurata, Hoeffftianum nempe, Capitolinum, Vaticanum. Singulis annis assurgunt novi strenuque scriptores Latini atque poëtae qui, praemiis et hominum gloria allecti, linguae Latinae impensius dant operam.

3) *Commentarii Latini*

Ad hanc rem quoque spectant ephemerides seu commentarii quae aut Latine omnino eduntur aut Latine ea ad compendium¹⁶ tradunt quae prius in aliis linguis fusius proposita sunt. Inter eas qui Latine tantum et ad cultum Latinae linguae edentur hae sunt praecipuae: *PALAE STRA LATINA* in Hispania, *Auxilium Latinum* in Civitatibus Americae, *Acta Diurna* in Anglia, *Gymnasium* in Columbia, *Latinitas*, quae ab anno MCMLIII prodiit Romae in Civitate Vaticana.

Praetereo illos commentarios de re aut disciplina proprie ecclesiastica, quia plures sunt numero et, quamvis Lingua Latina utantur, eorum non est linguae latinae cultum provehere. Ii tamen sileri nequeunt commentarii jam emeriti qui ante hos dies editi sunt: *Vox Urbis*, *Scriptor Latinus*, *Alma Roma*, *Candidatus Latinus*, *Societas Latina*. Satis est nunc eorum nomina nos tantum attulisse, nam de uniuscujusque ortu, cursu, obitu disputare res longius est quam haec disquisitio patitur.

4) *Conventus seu congressus:*

Nunc vero de conventibus generalibus agamus in quibus lingua Latina in honore fuit. Anno MCMXXXIII mense Aprili utriusque juris antecessores seu professores Bononiain convenerant. Lingua Latina, omnium sententia, ut in Consessibus adhiberetur constituta est. Neque immerito, nam inter jurisconsultos sermonem Latinum usitatum reperimus toto saeculo XIX, ut constat

15 JIMÉNEZ, *Helmántica* V (1954) 2 7-278.

16 Ita, ex. gr., Salmanticensis, *Ephemerides Martiologicae*, Le Forze Sanitarie, L'Università di Roma; cfr. *Alma Roma*, 1934, p. 1; *Revista Española de Medicina y Cirujía*, febr. 1934, p. 66; *Rev. des Etud. Lat.* 1933, p. 23.

ex publicis Universitatum orationibus¹⁷, ex publicis disputationibus ad lauream et ad licentiam, quae non nisi lingua Latina more majorum fiebant. Illi enim viri qui in nostris Universitatibus floruerunt nequaquam linguam Latinam dedignabantur, immo usu et doctrina eam honestarunt. Medio saeculo XIX non de recuperanda sed de retinenda lingua Latina magistri disputabant¹⁸ et quidem elegantissimo sermone fere omnes de quocumque agebatur argumento. Testimonium exstat Galliuffii in libro qui inscribitur «*Specimen de fortuna Latinitatis*». ¹⁹

«Latine et satis latius scribebantur —ait— disputationes severissimae de jure publico, poëmata didactica ad pulchritudinem veritatis nobilitandam, demonstrationes difficillimae de studiis mechanicis, hydraulicis, opticis et astronomicis; breviter et graphice pingebantur vegetalia, fossilia, animalia; facillime vulgabantur leges Keplerianae et prima Tubi Torricelli prodigia; evidentissime narrabantur experimenta de vi electrica, de vi magnetica, de actione caloris, de multiplici aëreorum fluidorumque natura».

Sed non tantum in utroque jure periti, medici quoque et pharmacopolae in generalibus coetibus seu conventibus partes pro Lingua Latina susceperunt²⁰. Alii quoque universales conventus fuerunt, ut Conventus Religiosorum, Conventus Marianus Romae habitus, in quibus linguam Latinam omnes magno honore prosecuti sunt. Sed de his sileo ut de conventu illo loquar Romae anno MCMXXXIII habito a moderatoribus Instituti Studiorum Romanorum parato et ordinato ad usum linguae Latinae fovendum et evulgandum. Placet ipsius conventus consilia seu conclusiones breviter proferre²¹:

1) Ut sermo Latinus inter gentes universas communis habeatur et adhibeatur ad humanitatis commercium fovendum, augendum, tenendum.

2) Ut collegia coetusque doctorum, acta compendio saltem latine fiant.

3) Ut universi discipuli sermonem Latinum ad colloquia advenarum peregrinorumque conversationum interrogantium vel sciscitantium in ludis etiam primariis discant.

4) Ut ad hoc propositum facilius assequendum libelli de rebus cotidiani usus a peritis purae Latinitatis lucidi tersique scribantur.

5) Ne usus latine scribendi et colloquendi in Lyceis et in Universitatibus despiciatur aut neglegatur.

6) Ut ad lauream in litteris elargiendam Latinae rationis experimentum in scriptis sumatur.

17 JovÉ, De Cervariensis Academiae viris litteratis. PAL. LAT. III (1932-1933) 17; sq.; 36 sq.; 58 sq; 92 sq.

18 Ludii Rhetorici et poetici, Cervariae 1756, p. 5.

19 *Specimen de fortuna Latinitatis*, Augustae Taurinorum, 1883.

20 PAL. LAT. IV (1933) 13-14.

21 *Ibidem*, p. 14.

7) Ut a candidatis ad disciplinam aliquam in Universitate edocendam, quae ad cultum antiquitatis classicae quoquo modo spectant, opusculum aliquod latine confectum repetatur.

8) Conventus... Institutum Studiorum Romanorum magnis prosequitur laudibus eo quod pro viribus insudaverit ut Latina lingua floreat magisque in dies usu deveniat.

Sed quid opus est plura cum rem auctorum clarissimorum probent sententiae?

C) SENTENTIAE SEU TESTIMONIA

Atque revera, non defuerunt his temporibus qui pro studio et usu linguae Latinae sententiam suam exprimerent. Liceat haec tantum testimonia afferre:

Angelus VALDARNINI, in Bononiensi Universitate Professor, pro lingua Latina, inter omnes doctos communi, in Conventu Romano de lingua Latina fovenda, de quo supra mentionem feci, haec fere habuit: «Cum damna et incommoda sexcenta oriantur ex hoc quod adolescentulorum mentes multiplici sarcina disciplinarum opprimantur, institutionem linguarum coercendam puto ad vernaculam linguam alteramque, quae communem omnibus fiat: linguam videlicet Latinam, quae tum historia, tum perfectione, tum nobilitate primum locum obtinet»²².

Josephus FORNARI, egregius olim *Almae Romae* moderator, in eodem Conventu Romano orationem suam conclusit in eandem fere sententiam quam prius Felix Ramorinus edixerat. «Haec formula nostra sit: Latinus sermo doctrinarum omnium et disciplinarum communis est habendus»²³.

Hamletus TONDINI, clarissimus linguae Latinae scriptor, de ipsius linguae Latinae hanc fert sententiam, quam exemplorum copia confirmat: «Latinam linguam ceteris omnibus anteferendam esse credo eamque unam praeter ceteris ad commune doctorum virorum loquendi scribendique commercium aptissimam usurpandam»²⁴.

Antonius BACCI, vir egregius, Consilii *Latinitatis* Praeses, haec memoratu digna profert cum lectoribus primum commentariorum fasciculum tradit: «Novam Latinitatis faciem animosi attollimus, cum nobis persuasum sit hoc loquendi scribendique genus pressum ac flexibile, locuples ac numerosum, nitidum ac dignitatis plenum, non exsanguem, sed aptum etiam ad devinciendos inter se homines, quos humaniorum litterarum studia delectent, sed

22 *Ibidem* p. 13.

23 *Alma Roma*.

24 *Latinitas* II (1954) 83-93.

idoneum quoque ad ea nostrorum temporum cogitata atque inventa ita exprimenda ac declaranda ut ab omnibus non incultis viris intellegi queant... Nemo enim revera doctus qui latinam linguam ignoret»²⁵.

Quam sententiam DR. ENK, in Universitate Groningana professor, confirmat his verbis: «Mihi constat si quis doctor vel professor linguae litterarumque Latinarum sit neque tamen ea lingua pulcherrima in commentationibus suis uti soleat, eum nunquam linguam penitus cogniturum... Magni philologi quales sunt Madvigius, Buechelerus, Housmannus Latine scripserunt, non semper quidem sed tamen saepissime»²⁶. Haec occasione Avenionensis Conventus protulit.

Ipse Antonius BACCI, ejusdem Conventus causa, haec scripsit: «A mio parere... il Latino potrebbe e dovrebbe ancora tornare ad essere la lingua universale fra i dotti, ponendo rimedio alla Babele²⁷ delle moltissime lingue moderne... come già il Facciolati, maestro del Forcellini, si augurava quando scriveva che soltanto col ripristinato uso di questa lingua-madre si può *Babellicae turris incommoda compensare*»²⁸.

Mauritius MIGNON, clmus. Studiorum Superiorum Nicaeae in Gallia moderator, haec in Avennico Conventu dixit: «J'étais persuadé, en effet, que toute langue créée artificiellement, comme l'espéranto... ne pouvaient qu'échouer, le fait l'a prouvé amplement: quant aux langues vivantes actuelles ni l'anglais, ni l'espagnol, ni le français, ni le chinois, langues les plus parlées, ne pourrait être adopté, à cause des orgueils nationaux. Le latin, au contraire, ne suscite aucune rivalité, ni politique, ni littéraire; il est déjà parlé par toute l'Eglise catholique; le latin vulgaire d'où sont issues les langues néo-latines, a été parlé par tout le monde occidental jadis; il se prête très aisément, comme en ce temps-là, à des modifications et simplifications de vocabulaire et de syntaxe, qui le rendent communément compréhensible. N'a-t-il pas servi à toute une littérature médiévale et à toute une philosophie?... La preuve a été faite, naguère, par la rédaction en latin des thèses de doctorat en France, en Allemagne, etc.»²⁹.

Joannes BAYET, Sorbonensis Universitatis professor praeclarus, consilium seu propositum Avenionensis Conventus in sessione augurali his verbis exprimebat: «Volumus enim efficere ut omnium gentium studiosi, cum humaniorum litterarum, tum naturalium mathematicarumve disciplinarum participes, una lingua utentes, inventa sua inter se communicare et in compendium redigere possint. Ad quod Latina lingua, ut antiqua, solida, firmiter constituta, rerum temporumque justa conciliatrix, multis partibus aptissima apparet»³⁰.

Unde firma nobis sit illa ALDINI sententia: «Doctorum lingua atque eruditorum Latina semper fuit»³¹. Quod si heri, cur non hodie, cur non cras?

25 *Latinitas* I (1953) 3-4.

26 J. ENK: *Quae causa est cur scientia linguae Latinae nostris temporibus tantopere imminuta sit quibusque modis augescere possit*, cfr. *Acta Conventus Avennici*.

27 PROF. L. CAPELLE: *Le Latin ou Babel*, «L'Education Nationale» (23 oct. 1952).

28 BACCI, cfr. «Congrès International pour le latin vivant», (Bull. 31-VII-1956).

29 MIGNON: «*Le latin, seule langue internationale possible*», *Acta Conventus Avennici*.

30 J. BAYET: *Grammaire Latine (Rapport de base)*, cfr. *Acta Conv. Avennici*.

D) CONCLUSIO

Sed revera congruit in sermonem Latinum redire? Nam sunt qui Brocensem, eruditissimum Salmanticensem magistrum, Erasmus, Budaeum, Ricciū impugnantes faciant. Faciunt quidem, at eorundem sententias detorquentes aut inepte ad nostram aetatem protrahentes. Quod si Brocensis noster «nihil, ait, pestilentius posse juveni linguae Latinae cupido evenire, quam ut verbis Latinis effutire cogitata aut loquentium profluentiae interesse», hoc tamen adserit quia «ii linguam Latinam in plateis, aut etiam in gymnasiis miris modis conantur dilacerare»³². Ceterum Sanctius Brocensis linguam Latinam non tantum utilem reputat sed et necessariam aliquando propter varia inter sapientes diversarum gentium commercia. Ipse enim cum in *Minerva* agit de Latina lingua comparanda, mentem suam aperit cum monet «ne quis linguam Latinam nisi praemeditate loquatur»..., nam «qui Latine garrunt, ait, corrumpunt ipsam Latinitatem»³³.

Neque contra usum linguae Latinae quidquam valent rationes seu objectiones eorum qui in ipsius antiquitate verborumque inopia nituntur. Semper enim licuit semperque licebit nova verba ex Graeco fonte haurire, aut veterum verborum sensum vi analogiae in novas species seu cogitata mutare, aut ex cottidiano communi sermone nova verba excudere Latinaeque linguae aptare. Et revera, ut jam supra diximus, satis constat, exemplis et argumentis in publicis commentariis hac nostra aetate editis et in libris Latine exaratis, linguam Latinam, tum in civili vita et in usu gerendarum rerum privato, tum in umbratili speculationis ac doctrinae, semper maximam, semper sibi parem se gessisse, omnia implevisse omnibus aequam³⁴.

Quae cum ita sint, quid impedit quominus lingua Latina, omnium doctorum communis et adiutrix uti vocant renuntietur et adhibeatur? Quomodo tamen id fiet cum linguae Latinae usus magis in dies minui et fere exstingui videatur principatusque, quem lingua Latina in scholis, gymnasiis, academiis olim obtinuerat, sensim sine sensu evanescere et obrui ut ita dicam inter spolia pristinae gloriae? Est haec quaestio majoris momenti quam ut illam leviter attingamus. Rem igitur ad proximum fasciculum remittamus oportet.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

31 ALDINI: *De vera Latinae linguae fortuna*, Caesena 17, 5.

32 FRANC. SANCTII *Minerva*, Amstelodami, 1661: «Latina lingua comparanda non colloquitur sed stilo» (cfr. *Lectori salutem*).

33 *Ibidem*, p. 855-856.

34 Cfr. *Latinitas* II (1954) 83-93 et Galluffii testimonium, n. 19.

DE GRAMMATICA

Nuper, ineunte mense septembri, Avenione Conventus linguae Latinae fovendae, edocendae, renovandae est congregatus.

Dissertationes, relationes, vota quae in illo clarissimorum virorum coetu prolata sunt ac disceptata magni cum sint momenti — benigne annuente Moderatore Johanne Capelle — sociis PALAESTRAE LATINAE ultro libenterque legenda proponimus.

Praecipuae igitur dissertationes et relationes — quae tunc sermone latino scriptae sunt aut summarim latine contractae — insequentibus fasciculis prodibunt.

DISSERTATIONIS DRIS. BAYET SUMMA

Ex proposito fit necessitas. Volumus enim efficere ut omnium gentium studiosi, cum humaniorum litterarum tum naturalium mathematicarumve scientiarum participes, una lingua utentes, inventa sua inter se communicare et in compendium redigere possint. Ad quod Latina lingua, ut antiqua, solida, firmiter constituta, rerum temporumque justa conciliatrix, multis partibus aptissima apparet, ita difficilis usu videtur propter grammaticae curiosas, ut dicunt, implicationes. At exclusa grammatica non imaginamur quicquid sine dubitatione quadam vel enuntiari vel intellegi posse. Quo fit ut debeam quandam Latinae grammaticae formam vobis demonstrare quae simul ab antiquae linguae consuetudine non abhorreat et animos eorum non frangat qui veritatem eloquii potius quam elegantiam persequi debeant.

Hoc proposito fine, nominum genera tempora modique accurate ediscenda sunt. Quod autem ad constructionem pertinet, ratione et via utendum est ut quam expeditissime quidvis pure eloqui possis, simpliciore si necesse sit, enuntiationem adhibens, dummodo idem valeat. Praeverbiorum enim usus aut adverbiorum, appositio ipsa vel asyndeton saepissime eadem possunt quae exquisiti concinnae orationis circuitus. Servandae sunt autem commoditates ablativi absoluti et infinitorum et fortasse ipsius gerundii; opere etiam pretium faciendum est, sed nimia exclusa religione, constructionum per conjunctiones, adverbia, pronomina, quibus sensus principalis distinguitur aut expletur; earum maxime quibus similitudines et condiciones significantur. Sed sacra, ut ita dicam, mysteria obliquae orationis et consuetudinis temporum, quidni differantur? — At et prima et ultima sit cura verborum ordinem vere Latinum religiose retinere.

Sic persuasum habeo nos Latinae linguae quam dicunt syntaxin in paucas paginas redigere posse, seu ut eae solae bene memoria teneantur, seu ut, ad quemvis grammaticae libellum adjunctae, quasi summarium constituent notionum quibus necesse sit utantur omnes qui Latine inter se communicare velint.

JOHANNES BAYET, *Prof.*

Qua de causa restituere inter nationes oporteat
linguae Latinae usum, quomodo autem Latinitas
habitus et voces induere possit recentioris aetatis

Dilemma illud, seu verborum duorum complexio, a J. Capelle, C. V.,
propositum ¹, magnum exstat monitorium signum ut cum, instante periculo,
pulsatur campana crebris mallei ictibus. Credidimus immensum quem habi-
tamus orbem proximis annis fore «patriam diversis gentibus unam», quo die
primum vidimus, mirabile dictu, cymbas alatas dissociabile oceanum transi-
lire, non secus quam interjectum flumen, et remotos antipodas ire salutatum,
quasi essent in vicinia nostra. Quis non crederet prope jam esse felicitatem
temporum? Spem mentita seges; extemplo, necopinantes, in rerum perturba-
tionem devenimus non umquam hominum memoria auditam. Profecto tanti
non erat immensitatem longitudinum vorare, et diei spatio circulum aequi-
noctialem circumire, ut denique re esset vera orbis terrarum, qualem indig-
nabundus conceperat mente divinus Alaghertus,

l'aiuola che ci fa tanto feroci.

Jam enim, non modo castra et navalia, sed frequentissimae civitates, sed
loca vicatim habitata, sed maria, sed caeli, omnia bellum erant; et in cultissi-
ma Europa, meta ultima belli, erat videre alios cum aliis, vel si indocti non
essent, ita loquentes, ut faciunt signis digitorum muti. Non veniet aliquando
tempus, cum saltem nationum legati, in amplissimis conventibus sive redin-
tegrandae tandem paci et tuendae sive scientiis provehendis, disputationes
habebunt lingua una atque omnibus nota? Quaenam porro hujusmodi coeti-
bus magis quam Latina apta, tam antiqua ut sempiterna habeatur, tam recens
ut cootidie toto orbe effundatur, tam majestate praestans ut ceterae linguae,
vel nobilissimae atque dudum longe lateque propagatae, singulari prosequan-
tur honore, tam denique docilis ut in ephebeis Romanis certent Latine de
more loqui Afri, Indi, Sinenses, aliique non pauci, qui a Japonia et ab Aus-
tralasia toto emenso orbe advenerunt in Urbem?

FORSITAN DIXERIT QUIPIAM NIMIS LONGAM ESSE VIAM LATINAE LINGUAE
EDISCENDAE, nimis negotiosam aetatem nostram ut tantisper concedat in otium
litteratum, nimis saepe Latinum sermonem iis vocabulis carere, quibus recte
et scite nominentur nova scientiarum inventa, quae prope infinita promun-
tur in dies.

1 *Le Latin ou Babel.*

Sed, o bone, pace tua dicam, quin immo faciam tecum colloquentem
divinum Poëtam,

necessità lo vuole, e non diletto

ut ii qui vacant studiis linguam illam teneant, non modo maxime prae ceteris utilem, sed etiam, si qua umquam fuit, auctoritate gravem, vocum junctura numerosam, nominum inflexionibus tamquam juvenalium corporum praestantem, venustam praeterea, pulcherrimam et incessu deam, si videris prodire stolatam; id quod, agedum, juvat semperque juvabit, ut in locupletium mensis lautitiarum apparatus. Longa quidem linguae Latinae via, sed recta, sed lata, sed ducta per amoena locorum, regina viarum denique, ut Appia, qua deambulantem taedet domum redire. At contra, viae discendi sermones qui nunc varie diverseque sonant, licet sint compendiariae, ad summam longe longiores fiunt, propterea quod sit necesse in tam multas te dare, ut prius te vita relinquat, quam tot itinera confeceris. Ceterum, quid tibi prodest plures tenere linguas, cum nullo pacto possis cum aliis sermocinari, nisi experti sint quos tu pertuleris labores? num quicquam prodest amphitryoni in promptu esse linguas «salmistratas» quas vocant Gallico sermone, si convivarum palati ferre recusent? Profuit quidem Mithridati duas et viginti linguas didicisse, quot nationibus imperabat; immo magnopere profuit, scilicet ne provinciales et municipes suum regem scientia linguarum superarent. Ac potuit tam magnus rex cum tot linguarum scientia artem conjungere venena et venenorum antidota conficiendi! sane non fecisset, si Latinae scientia non caruisset; tunc forsitan, humanitatem indutus, immanitatis exuvias risisset; non enim totus belua fuit Mithridates, quales illi fuere, quos Latinitatis rudes ignarosque proximis annis vidimus Acheruntica quadam vi ad Rerum Publicarum gubernacula evectos. Nam quid tandem est viam tenere a Latinis scriptoribus factam nisi ad culturam animi pervenire, et

verae numerosque modosque ediscere vitae?

Utinam id unum, dum vivimus, summopere interesse persuasum sibi aliquando habeant homines nostrae aetatis, quorum navitas tam saepe desinit in negotiositatem! Sed maxima eorum pars, aut prorsus ignorant esse modum in rebus certosque denique fines, aut bene saepe obliviscuntur. Plurimi sunt quos negotiorum turbine versatos sollicitudo perpetua urget, premit, respirare non sinit, quorum nempe mens, perinde quasi acus magnetica nautarum, unum diu noctuque signat punctum, nimirum velisque remisque contendere, ut lucris, clientela, luxuriosae vitae tenore, nominis dignitate, diuturna suarum officinarum laude per ephemeridas vulgata, omnes antecellant aemulatores. Sed ne eos quidem qui ingenuas artes exercent, praesertim juniores inter duo pestifera bella natos, Horatii sententiae meminisse juvat, quam rectius normam legis dixeris. Quae repugnantia rerum! reges abeunt, et sola dominatur ut cum maxime regina Pecunia; nec quisquam mediae civium classis secum cogitat insaniam esse tam magni pecuniam facere, postea quam et

vidit inflatam utris ventosi instar, et in vultuosissimi cujusque plebei bulgas perpetuo demigrantem. Videsne, haec interdum loquor ipse mecum, quot dena hominum milia cinematographica stipent; quot, spissati corpora corporibus, saepiant stadia? nonaginta novem partes vulgus sunt; scire vis qui sint isti matutini primitiarum emptores, morosi voluptuariarum rerum conquisitores, protervi optimatum in vitiis scilicet aemulatores, nocturni ambubajarum ad cenas invitatores? non falleris, recenter nummati sunt.

Atqui lingua Latina, postquam coeperat divina loqui, valuit feros barbaros Romani Imperii eversores, non modo mollire, sed ita instituere, ut, perinde ac Teucris quos Vergilius cecinit, facerent suum populi victi sermonem. Atqui Poëta humanarum divinarumque rerum, cum agitabat mente «retrahere viventes in hoc saeculo de statu miseriae, et perducere ad statum felicitatis», iter ad Deum non iniit, nisi duce et comite Vergilio. Aeternum profecto docet summus Alagherius quid velint, quo ferant Latinarum litterarum studia. —«Sed», inquires, «quam laboriosum opus, quae moles molestiae ista quae praedicas studia!». —Teneo; nondum tibi mente exciderunt Orbiliorum praecepta; num vere credis extra Ciceronem non esse Latinitatem? bis peccant tui grammatici: primum, quod «Pindarum quisquis studet aemulari...»; age porro, si quis ex humanistis, qui sua aetate fastosi incedebant, «nostrum foret delatus in aevum», et pressis Ciceronis vestigiis, ut eorum fuit mos, orationem haberet in corona, quot credis audientium non dormitarent stantes? Deinde quemnam optimum scriptorem, statim a Ciceronis morte et deinceps vere Ciceronianum inventas? Jam T. Livius, Arpinatis fere aequalis et ejus cruentae mortis non siccis oculis narrator, vicinus Mantuano est; si legis Senecae epistulas, nescis an una cum Lucilio suo te quoque jubeat salvere: si Petronii *Satyricon*, videbis elegantiae arbitrum sic indulgere popularibus et usitatis verbis ut propius abesse dicas a nostra quam a Ciceronis aetate; si *Annales ab exitu Augusti*, Tacitum videbis iter per abrupta facere, ut cum summam Alpem escendit primarius nostri temporis athleta.

Sed quorsus haec? Nunc ut nunc, quaestio non est de callenda Latinitate. Paulo minora canimus, at tamen, ut in praesentia, longe utiliora. Ac primum quaerimus quodnam genus Latine loquendi sit potius quo utamur tamquam liberi comiteus diplomate, quotiens occasio data sit commercia sermonis faciendi cum exterarum nationum civibus; deinde quae docendi methodus adhibenda, ut non modo sit minus difficile studium discipulis, sed, quantum in nostra potestate est, delectabile; denique quam via et ratione sit, omnium nostrum industria atque navitate, novis rerum vocabulis augenda in dies antiqua lingua, aequae ac novorum librorum acquisitionibus antiqua bibliotheca, ut volventibus annis magis magisque nostro sermoni accedat.

QUAS MODO MEMORAVIMUS QUAESTIONES TRES, UNO VERBO PROPOSUIT, EASQUE IN NUCE SOLUTAS, J. CAPELLE, cum Latinam de qua disputabitur linguam audacter nominavit «viventem», eadem ferme vocabuli vi, qua Italice dicimus «lingua parlata». Sane non poterat conventui causa proponi aut majoris momenti aut magis opportuna. Quid, si doctissimus vir amori aetatis aureae indulsisset? Etenim suam quaeque Europaea lingua aetatem auream optimo jure vindicat; nec ulla natio est, quae suam linguam non arbitretur omnium esse pulcherrimam, perinde ac suam quisque amator puellam. Ut Petrarca noster tam obstinata judicabat mente auricomam quam deperibat Avenionensem phoenicem esse pulcrarum, ut, absens, pertinaciter quaereret num aliquid ejus pulcritudinis esset in obvia quavis bella puella. Quod si vel in publica certamina de puellaris venustatis principatu nationes quam plurimae clamoribus simultatibus per suas lectas adolescentulas descendunt, quid fiet, cum propagatum per fas per nefas imperium summa auctoritate decreverint esse defendendum atque tuendum, non minus armis quam lingua? Quid, si qua natio nomine potentiaque praestans aliam linguam quam suam videat in publicis conventibus unam et solam a cujusvis nationis legatis justo jure adhiberi? num aequo animo ferat id vulneris suae dignitati illatum? Profecto, ut in morum corruptione deliramenta philosophorum, sic imum non solet habere locum adrogantia sermonum, neque in nationum simultatibus, neque in subitaneis bellis, neque in frustratis quaerendae paci conventibus.

At contra, tantum abest ut lingua Latina semen spargat simultatum et discordiarum, ut pacem conciliet inter nationes, propterea quod suum propriumque sit animos ad aequabilitatem informare. Donec enim sollemne in Europa fuit hac principe lingua uti, scientiae atque doctrinae societatem hominum fovērunt; nationum legati, de re politica disputantes, facilius alius cum alio consenserunt; pacis condiciones, scriptae de more antiquitus tradito, ipsae per se fuere pacta servanda. Felicem aetatem, cum antiquissima lingua, per quam gentes victum atque humanitatem acceperant et meliora sequi didicerant, eadem fuit ac vox naturae!

Tempus est linguae Latinae usus restituendi in publicis ex non paucis nationibus conventibus, qui tam saepe fere ubique habentur. Nihil enim magis incommodum et molestum et laboriosum et praeterea ridendum, quam ita ductum gravissimum colloquium inter homines patria sermoneque diversos, ut singula prolata verba, postquam multi interpretes ad obrussam exegerint, aliquando tandem ad aures assidentium perveniant, eaque plus minusve detorta sententia. Num longe aliud est istud operis quam, si detur audacia verbis, alieno mucinio nasum purgare?

Sed nullo pacto Latinitas potest usu pervulgari, nisi e medio sermone sumatur; quod genus loquendi cur commendetur plures exstant causae;

namque sermo cotidianus et familiaris, ut procedit morosis verborum circuitibus expeditus, perinde aptus auribus et accommodatus venit, quasi cum nostra loquela consonet; deinde perutilis nobis est, propter ejus locupletissimam nominum et locutionum suppellectilem decursu saeculorum deinceps auctam, prout mutabantur mores vivendi; denique, ut alia omittam, potissimum delectat et facit palato, quod hominem sapit. Quid sunt ista pannosa aulaea inter auream sublata et cadentem Latinitatem? Id unum nostra interest, ut rerum nomina, undequaue sumpta, quadrent in unguem, et ea quae legimus sint, ut in scaenis, germana humanorum morum imago. Quid mihi cum Micipsa, cum Labieno, aut cum rege Dejotaro? quid cum te, Citalina? quo usque, tandem abutere...? Si non aliud, Trimalchioni illi, opibus et ignorantia praediviti licet saltem gloriari se genitum esse Nasidieno beato, et genuisse *Le Bourgeois gentilhomme* ceterosque sui similes, per quos resonant plausibus theatra.

Hoc genus loquendi probe scimus neque hodie neque cras adhiberi posse; sed «senex serit arbores, quae alteri saeculo prosint»: si minus sarcinosum erit in scholis studium linguae Latinae, quis scit an filii filiorum qui nunc elementa discunt prima, futurum sit ut, utroque parente magistro, a tenere aetatura sermone Latino fritinniant, non aliter ac peregrina aliqua lingua?

SIT IGITUR A PUERIS MINORIBUS PRINCIPIUM. Cum scholam mediam quae vocatur primum ingressi sunt, ut solet aetas puerilis novitatibus delectari, exspectabant impatientes morae ut inchoarent studium *Linguae Latinae*; cur postea, prima pagella data, animo defecerunt? Durum scilicet ederant et sine opsonio panem. Nemo enim non novit duarum partium, quibus institutiones grammaticae constant, longe magis onerosam esse priorem, ipsam quae datur ediscenda pusionibus, morphologiam nempe, quippe quae, fere nulla ratiocinandi data opportunitate, sit memoria tantum omnino complectenda. Sed quis sibi vindicet memoriam Mithridaticam? Opus igitur est ut pars morphologica rerum grammaticarum sit apta et accommodata puerilibus ingeniis: non sit morosis exceptiunculis et doctis obscuritate vocabulis impedita; non interclusa spiritu centenis verbis anomalis, quasi partes agat lexici; non intercisa vastis hiatibus, ubi stationem habeant non pauca, cum in linguam nostram vertenda, tum Latine reddenda; non sint ejus partes disjectae, ut membra Absirti, per tot volumina quot sunt alumnorum classes; non moretur denique pro sua parte nascentem discendi felicitatem, quae non alia in iis est quam heri fuit felicitas primos passus faciendi. Rem grammaticam, quae caput et fons discendi est, totam complectatur brevis liber, lectione planus, typis nitidus, solide nec ineleganter religatus, pueris habilis ut advocatis codex legum; inserta exempla declarandis regulis aequae pertineant ad

mores antiquae aetatis, aequae ac nostrae; ubi juxta paragraphorum numeros non desint subtilia memoriae adminicula.

VERUM ENIMVERO, NIHIL SUNT INSTRUMENTA DISCENDI SINE METHODO DOCENDI. Sed daturne praestituta methodus, quae diu multumque adhiberi possit? Nisi magister fertur animo aliusque et idem annum de anno cum discipulis esse, munus docendi, velis nolis, paulatim fiet mechanicus labor. Ut ait Ovidius, consueta vilescunt; quid non adrodit tempus? Quae vestis non pascit tineas? Id unum studere oportet: repuerascere cum pueris, et cum discipulis lycei condiscipulus fieri. Equidem ego memini, quo anno litteras docui puerulos classis primae, beatum me cum beatis fuisse. Primis diebus, postquam nonnulla nativi sermonis nominaveram Latine, quod esset pensum in crastinum, en indutum Latina veste novum aliquod inventum oblectatorium, en eodem ornatu concinnata nonnulla, quae ad certamina follis lusorii pertinerent; haec erant crustula Horatii: ridebant oculis gulosiculi puelli. Praeterea per singulas hebdomadas praestitueram horam assuefaciendi manus vocabulario: «Quaere, De Angelis, qui sit casus genitivus nominis *cupressus*; num *cupressus* an *cupressi*, nescio enim: tuque, De Rosa, vide sitne praeteritum tempus verbi *sonare* idem ac verbi *laudare*». — «*Cupressi*, Professor; Professor, *sonut*». — «Recte; peritissimus monitor vocabularium! rerum grammaticarum heres ex asse vocabularium!». Tum omnes pervolutare pollice madefacto paginas, premere digito aliam post aliam lineas, singula verba inspicere, gestientes dena nomina quaerere, quod erat pensum in horam assignatum. Cum autem dies extendebantur solstitium versus, aliam novitatem excogitavi: «Vultisne, pueri, legere domi, pro suo quisque genio, bellas fabellas? hora ultima sabbati, is, qui pulcherrimam selegerit, primus erit ad narrandum, ea tamen lege ut, non mihi, sed condiscipulis narret, una mecum spectantibus». Atque, praestituta die, percurso oculis narrationum indice, eligo sermoni habendo discipulum statura proceriorem, sed ad id usque tempus studio studendi curtum: — «Dic, Rinaldi, Stellinam...». Tum fuit videre novum illum musarum alumnum, mutata colore facie, utraque tremiscente manu, casus Stellinae conticentibus aequalibus narrantem mihi quoque suo loco sedenti. Macte virtute, puer! Exinde alius quam ante fuit Rinaldi.

O si novi discipuli primarum classium identidem recitent narratiunculas Latinas, quantum vis breves, sed lepidas, vivas, e vita quae nunc est deductas, ut schola media quam vocant, nunc ut nunc salebrosa, vere sit, quod ejus Latinum nomen sonat, ludus litterarius!

De praesenti statu Latinitatis in lyceis multae consonant, quamquam tono diversae, sententiae: «languet», «morta est», «desunt fundamenta»; nemo tamen quaerit num methodus docendi sit omnis culpae immunis. Olim,

emenso per octo ferme annos studiorum curriculo, discipuli, victoria laeti, dedicabant Vulcano emeritos libros; nunc vero, facti sagaces, paene intonso mutant in odoras fistulas Nicotianas. Venerunt quidem e gymnasio, laborantes Latinitate, languidi lycei discipuli; sed cur iis cibus datur, quem nec palatus degustat, nec stomachus concoquit? Cur per dies per annos iidem auctores gravis armaturae? Quid aeternae philologicae quaestiunculae aeternaeque de re grammatica lites, cum pallidus discipulus, vocatus ad tribunal, male haerentem memoriae balbutit impressam typis translationem aliquam a Cicerone aut a Tacito? Cum convivis qui in triclinio Latinitatis graviter disputant e loco summo, aliquando tandem ii quoque accumbant, qui comiter de imo sermocinentur. Quonam spectato consilio Politianus, Pontanus arcentur, aliique multi non parvo honore digni? Tunc enim nostri juvenes sic *Naenias* ad Luciolum haberent acceptas, ut cantiunculas Neapolitanas: et fortasse, potius quam clamoris hebdomadalibus centifoliis et insipidis cruciverbis, se delectarent vernacula quidem, sed sapienti Latinitate heroicomici *Baldi*. Quin licet arbitrari, si ita se haberent res, pueros majores Latine locuturos fuisse in lyceis, ut nunc in gymnasiis lingua aliqua extera minores. Interea, cur non reddimus Latine, sociata cum discipulis opera, excellentium nostrorum scriptorum perinsignes locos omnium laude celebratos, quos eos juvat sponte sua domi declamare? O paginam illam, ubi Carduccius deplorat finem Italiae, una cum fine Florentinae libertatis! «...postea, suo obvelata pallio, decens et verecunda velut Iphigenia, mortifera vulnera accepit Europae». Eo die discipuli, adjuvante magistro, certabant facere Poëtam e Capitolio loquentem.

QUAE AUTEM SIT RATIO ENUNTIANDI LITTERAS SEU VOCALES SEU CONSONANTES, nihil, Juppiter, laboris est pueros docere, quandoquidem, ut ait Quintilianus, «quidque lingua Latina scribitur. quo modo sonat; hic enim usus est litterarum, ut custodiant voces, et velut depositum reddant legentibus». Peropportunum tamen est apponere apicem syllabis, quas accentus, anima vocis, acuit et erigit; hoc pacto facilius servari potest lex barytonesis etiam ab iis, quorum sermo patrius indulget oxytonis. Nec minus interest legem servare enuntiandi vocales E et O, quae lex denique uno verbo continetur: vocalis brevis, sonus clarus; vocalis longa, sonus obscurus; sit autem brevis an longa vocalis, cito et recte docebit vocabularium, quod totius Latinitatis sustinet molem, ut Atlas Olympum. Sonus vero gutturalis consonantium C et G sequente vocali E aut I, utrum sit in pristinum restituendum necne, non nova quaestio est. Sane nemo non novit Romanos sono palatali caruisse, cujus rei vivum exstat testimonium apud Sardos; adhuc enim enuntiant v. g. «cena(m), voce(m), cruce(m), nuce(m)», non aliter quam «chèna, boghe, crughe, nughe». Sed nihil causae est cur ad morem loquendi antiquissimae aetatis revertamur: jam quis sustineret fuisse minus acceptum Romanis sonum,

quem non cognovissent? praeterea, nihilne est quod sonus palatalis viget abhinc mille ferme annos apud omnes nationes neo-latinas, quarum quaeque deinceps schola Europae fuit? an fuit umquam tempus, cum aptius quadraret sententia illa Horatii, penes usum arbitrium esse et jus et normam loquendi? Sed, quod pluris est, tantum abest ut sonus palatalis, ceterum non ascitus a barbaris, discrepet a gutturali, ut cum eo consonet et haereat apte, non secus ac tibia dextra cum sinistra. Profecto opus non est monitore phonasco, et aures modo acceptum habeant durum sonum, modo non ferant.

ULTIMUS AVENIONENSIVM DISPUTATIONVM NODVS, sed Herculaneus, est, quomodo inveniri aut potius creari possint nova rerum nomina locutionesque prope infinitae, ut vera et fundata maneat spes linguae Latinae usus pervulgandi.

Lingua quidem Graeca, optimo jure habita linguarum seminarium, minutis illis verborum surculis qui tam facile coalescunt aptissima quaeque valet nomina compingere, quibus tamquam concinna veste videmus induta quotquot de technicorum officinis deque philosophorum scholis in lucem prodierunt cujusvis generis instrumenta atque inventa, nec non doctrinarum novitates. Quin etiam, rerum nomina, quae lingua Graeca suppeditat, aptius Latinae quam ceteris haerent; in illa enim se agunt quasi domi suae per declinationum flexiones, cum in ceteris, tamquam in captivitate, deformata facie esse videantur.

Sed quid proderit locupletissima lingua, cum agitur de ipsa vita quam vivimus, eamque perinde vivimus quasi non nostra sit, sive inter homines versamur sive intus cum nostro ipsorum animo loquimur, eo usque sunt innumera ea quae, nostra intersit necne, undique premunt, distrahunt, alliciunt, tenent, perpetuo cogunt sollicitos esse? Conice oculos in ephemeridas: en tibi telorama orbis terrarum, ut videas, audias praesens ea quae ubique et semper homines agunt machinantur, student, praedicant, disputant, delirant; tibi videris tamquam vortice rerum circumactus. I nunc, insere puros... Equidem ego, si decies lexica pervolutavi ut quod appetebam exciperem, novies factus sum aërophagus. Quamquam non mirum; si enim difficile est proprie communia dicere, quid cum fiunt communia omnia quae sub sole homines moliuntur?

Atqui lingua Latina, utpote quam gentes moribus diversae per tot saecula loquendo et scribendo usurpaverint, plures habet quam ceterae numeros, ut se expediat tot difficultatibus nova loquendi. Inspice nostrorum verborum, ut ita dicam, exta: per etymologiam repetes antiqua nomina aut nova compones: utere analogia, adhibe elegantes imagines, et plurima nec indecora creabis; pervestiga sermones patriae linguae, et ex obscura alvo plebis educes ea

quae, cum a priscis aetatibus ad nostram demigrarent, fiebant de itinere nova rerum nomina apud novos scriptores; percontare illos ex scriptoribus, cum aetatis archaicae quam vocant tum senioris, quorum vires quasi tactu terrae, ut in mythico Anthæo, recreabantur, quotiens in medias res suapte natura rapiebantur: videbis pictam ad veritatem interprete lingua vitam popularis coetus, quae decursu aetatum paene nihil immutari solet.

At nunc, cum Petronio dicam, «laborat carmen in fine». Sunt enim nomina, alia exotica et barbarica, alia sermone cultissimi populi expressa, quae, communi usui apud omnes nationes recepta, sic Latinitatem metuunt tangere, ut Ursae sorores aquam. Quid porro? Num cum obtusis armis abiciemus etiam parmulam? Minime; si de gente exotica venerunt, commodabimus ab ea ex Europaeis linguis, quae primum invexit suaque urbanitate auxit; tunc facilis iis quoque erit aditus in «civitatem Romanam». Quod si nomina, ubique terrarum pervulgata, enuntiantur ex. g. lingua Anglica, cujus minutae tamquam avium voces consonare non queunt cum gravi atque extento Latinarum tono, agedum, quid interest denique? In celso Palatino, aequae edit lauros lusciniola modulatos tremulo gutture cantus, aequae festive garrunt passerres, sub culmine Evandri summis rostellis pipilantes.

ALOISIUS GUERCIO

Salerni

Quae causa est, cur scientia linguae Latinae nostris temporibus vulgo tantopere imminuta sit quibusque modis augescere possit

Auditores humanissimi,

Negari non potest scientiam linguae Latinae nostris temporibus vulgo minorem factam esse et in dies imminui. Non loquor de philologis classicis, quamquam de iis quoque nonnulla dicenda sunt, sed eos homines dico qui in scholis didicerunt quidem linguam Latinam, sed postea in aliis rebus vitae tabernacula posuerunt. Multi ex iis magna ex parte obliti sunt quae didicerunt, quamquam non sum ignarus esse qui auxilio corporum scriptorum Latinorum versionibus Francogallicis, Anglicis, Germanicis ornatorum Vergilium, Horatium, Ciceronem, Tacitum aliosque legere pergant. Sed si quis eos roget, possintne aliquid Latine scribere, continuo respondeant se non posse. In patria nostra quae, ut omnes scitis, per multa saecula plurimos protulit homines qui Latinitate perspicua, jucunda, eleganti uterentur quique etiam versus Latinos pangerent, hodie etiam inter doctores litterarum classicarum pauci tantummodo inveniuntur qui Latine scribere possint; quin etiam nonnulli eorum artem Latine scribendi spernunt obsoletamque putant. Mihi autem constat, si quis doctor vel professor linguae litterarumque Latinarum sit neque tamen ea lingua pulcherrima in commentationibus suis uti soleat, eum nunquam linguam Latinam penitus cogniturum. Nam qui textum scriptoris alicujus Latini emendare velit, ei subtili opus est linguae Latinae scientia. Magni philologi, quales sunt Madvigius, Buechelerus, Housmannus, Latine scripserunt, non semper quidem, sed tamen saepissime. Quam ob rem in Universitate Groningana per viginti quinque annos studiosis meis suasi, ut dissertationes thesesve suas Latine scriberent, neque unquam quisquam e meis discipulis lingua usus est recentiore.

Sed in aliis universitatibus Batavis his triginta qui praeterierunt annis plerique, qui litterarum classicarum doctores fieri in animo habebant, «theses» suas non jam, ut antea, Latine scribebant arsque Latine scribendi, qua majores nostri famam sibi comparaverant, neglegebatur obsolescebatque. Ii philologi autem, qui ipsi Latine non jam scribebant, pueros in Gymnasiis et Lyceis themata Latina facere nihil curabant, quo volventibus annis factum est, ut scientia linguae Latinae quam discipuli Gymnasiorum et Lyceorum habebant sensim sine sensu minor fieret. Accedebat, quod post annum millesimum nongentesimum vicesimum secundum non jam postulabarur, ut

examinandi in examine finali thema e Batavo in sermonem Latinum vertent.

Quod in mea patria videmus, homines nunc viventes exceptis excipiundis linguae Latinae minus peritos esse, id in aliis quoque terris Europae atque, si non omnia me fallunt, etiam in America observari posse compertum habeo.

Si igitur linguam Latinam denuo usurpari cupimus in conventibus virorum doctorum, qui cujusvis generis disciplinis operam dant, primum curandum est ut philologi classici in omnibus orbis terrarum partibus denuo commentationes suas Latine scribant et deinde ut magistri in Gymnasiis Lyceisque tali modo linguam Latinam doceant, ut discipuli sermone Latino simpliciore in epistulis commentatiunculisque uti possint. Quodsi discipuli themata facere non jam discent, non dubito quin eorum scientia minor futura sit quam ut postea sermonem Latinum in vita cottidiana usurpare possint. Nam quamvis syntaxin faciliorem reddere conemur, aedificare necesse est in fundamento solidiore quam quo hodie multi utuntur.

Equidem magnopere doleo studia humaniora, quae numquam fortasse magis necessaria fuerint quam hoc saeculo atomo-physico, sensim sine sensu evanescere, quam ob rem nihil mihi est optatius quam ut hic conventus Avennicus studium et amorem linguae litterarumque Latinarum ubique terrarum quam maxime excitet.

Dixi.

DR. P. J. ENK, *Litt. D.*

Groningae

Latinam linguam in syntaxi, in stilo, in lexico renovemus

Dicent alii quomodo Latina grammatica simplicior fieri possit, vel quomodo Latina verba pronuntianda sint, vel quomodo Latina lingua sit edocenda, vel quomodo Latinum lexicon renovari possit, ego vero, in hoc universo conventu, qui Avenioni et Galliae magno est honori, ad idem propositum consequendum, id est ad magis vivam et variam in schola et in arte, in rationibus inter singulos et populos Romanorum linguam reddendam, aperte dicam tandem Latinam linguam et in syntaxi et in stilo et in lexico esse renovandam.

Nam, cum plerique, etiam nunc, tantum lexicon renovandum esse credant, meo iudicio Latina lingua non solum in lexico, sed in syntaxi et in stilo est renovanda, vel potius redintegrandae: nemo enim negare potest adhuc Latinam linguam, in schola maxime, cum in lexico, tum in syntaxi et in stilo tam esse contractam mutilatamque, ut quasi truncum videatur corpus.

Quare, quod ad syntaxim pertinet, potius quam eam simpliciore reddere conemur, extremam Latinae linguae infligentes plagam, tandem, ne nos, vicesimo saeculo nati, stulte idem sentiamus quod sapienter Tiberii et Claudii aetate sensit Remmius Palaemon, tandem, dico, in oratione soluta, nec Ciceronem nec Caesarem repudiantes, immo totum Ciceronem et Caesarem assumentes, extra vetustissimos et injustissimos Ciceronis et Caesaris egrediamur fines obviam Sallustio et Livio, obviam Senecae et Tacito saltem fidenti animo euntes.

Adhuc Cicero, praeter ipsum Caesarem, summus iudicatur scriptor, adhuc Cicero scriptor perfectus absolutusque, adhuc Cicero ipsa Latinitas, sed tempus est id reiiciendi iudicium, cum jam negari non possit quantum Sallustius aut Livius, quantum Seneca aut Tacitus Latinae dederint linguae, Latinis dederint litteris.

Quippe qui mihi persuasum habeam cum Sallustium et Livium, tum maxime Senecam et Tacitum optimos fuisse scriptores, Cicerone et Caesare dignos, quippe qui mihi persuasum habeam praesertim Senecam et Tacitum deminuere falsum iniquumque esse, ut argenteam eorum definire aetatem magnus sit error, quippe qui mihi persuasum habeam, et primus affirmaverim, illum quem vocant «classicismum» Latinarum litterarum re vera non solum Ciceronem et Caesarem, sed etiam Senecam et Tacitum jure ac merito complecti, ego dicere audeo novam syntaxim Latinam, quae Latinae linguae veriore[m] divitiore[m]que, aut minus falsam et angustam, reddat imaginem, le-

gibus et exemplis sive Ciceronis et Caesaris, sive Sallustii et Livii, sive Senecae et Taciti saltem esse construendam.

Sed Latina lingua, ut supra dixi, etiam in stilo est renovanda, videlicet redintegranda: etiam in stilo enim, quod ad orationem solutam pertinet, Cicero adhuc dominatur, Cicero adhuc triumphat: Cicero unicum exemplar.

Verumtamen falsus Cicero, verumtamen «Ciceronianismus» qui dicitur adhuc dominatur triumphatque: Erasmus, qui vehementer cum Ciceronianis pugnavit, non vicit: in deserto clamavit Erasmus.

Sed, cum «Ciceronianismus» infestus fuerit sitque optimis Latinitatis scriptoribus, ut ipsi Caesari, ut Sallustio et Livio, ut Senecae et Tacito, cum «Ciceronianismus» infestus fuerit sitque recentioribus hominibus ad sensus animi libere exprimendos, cum «Ciceronianismus», infestus fuerit sitque Cicero ipsi, Erasmi audientes vocem, abiciamus tandem «Ciceronianismum», liberemus nos tandem ab isto morbo Ciceroniano, ne ex eo in aeternum aegrotare videamur, ne Cicero ipse nos spernat irrideatque clamans: «Cicero fui, o posteri, non tota Latinitas; una aetas fui, non omnes aetates: estote homines, non simiae, estote domini, non servi: estote vos ipsi!».

Nam, praeter Caesarem, et Sallustius et Livius et Seneca et Tacitus, qui a Cicerone profecti, suum consecuti sunt, dissimile sed non inferius, dicendi genus, cum in syntaxi tum in stilo jus potestatemque habent praecipienda: nec nos, nostra aetate, in tam bonos Latinitatis auctores, omni laude dignos, tantum commitemus facinus, hoc eis jus potestatemque etiam negantes.

Nam nos, recentiores homines quamvis Ciceronem, verum Ciceronem dico, veneremur, sensus animi nostros, desideria nostra, necessitates nostras libere exprimere volumus, nec Ciceronis aut alius optimi scriptoris nomine huic renuntiabimus libertati.

Nam Cicero ipse, Cicero verus, a Ciceronianis et deformatus est et cotidie deformatur, quasi semper in dicendo similis atque idem sit: Cicero contra —hoc animadvertatur!— varius est et multiplex, tam varius et multiplex, ut orator a rhetore, ut philosophus ab epistularum scriptore distingui possit, tam varius et multiplex, ut ipse orator unus non sit.

Quamobrem, cum «Ciceronianismus» tam infestus fuerit sitque, redeamus in primis ad verum Ciceronem, et ad verum Caesarem, sed accedamus etiam ad Sallustium et Livium, ad Senecam et Tacitum saltem, non modo ex Ciceronis aut Caesaris, verum horum omnium scriptorum praeceptis novum componentes Latinum stilum.

Quod si ex schola in artem incidit sermo, in orationem cum solutam tum devinctam, omnibus constet nos maxima uti posse libertate; omnibus constet nos nullius scriptoris esse servos, sed omnes cujusque aetatis, praestantissimos scilicet, et paganos et christianos, imitari posse scriptores; omnibus constet quot scriptores tot nobis esse exemplaria.

Nam in arte non solum Ciceronem aut Caesarem, aut Sallustium aut Li-

vium, aut Senecam aut Tacitum, non solum Catullum aut Lucretium, aut Vergilium aut Horatium, aut Propertium aut Tibullum aut Ovidium, aut Statium aut Juvenalem, id est scriptores illos qui justissime «classici» meo habendi sunt iudicio, sed etiam, ut exemplis utar, Plautum et Terentium, Tertullianum et Augustinum, Ambrosium et Prudentium, ipsos Matthaëum et Marcum et Lucam et Johannem et Paulum imitari possumus.

Haud dubie Ciceronem imitabimur, si Ciceronem imitari volumus; Senecam, si Senecam; Tacitum, si Tacitum; Vergilium, si Vergilium; Horatium, si Horatium; Plautum, si Plautum; Augustinum, si Augustinum; Prudentium, si Prudentium; Matthaëum et Marcum et Lucam et Johannem et Paulum, si Matthaëum, si Marcum, si Lucam, si Johannem, si Paulum: nec, verbi gratia, Ciceronem imitabimur, si Senecam aut Tacitum imitari volumus; nec Ciceronem si Augustinum; nec Ciceronem, si Matthaëum aut alios evangelistas: stilus erit semper varius: talis erit stilus qualis res, qualis animus.

Ex quo intellegi potest quantum Ciceroniani, quantum contumaces unius scriptoris imitatores erraverint atque errent: ex quo intellegi potest quam falsum iniquumque sit totam ad unum scriptorem redigere Latinitatem.

Sed Latina lingua etiam in lexico renovanda est: omnes enim Latinum lexicon renovandum ac redintegrandum esse consentiunt.

In hac re tamen, liceat mihi hoc clara dicere voce, summo omnes elaborant studio, ut nova Latine reddantur verba, et omnibus contendunt nervis, ut etiam levia exprimantur, Romanis et «cafaeum» et «chocolatam» et «theam» laeti donantes, sed omnes fere Latinam linguam in primis Latina lingua renovandam ac redintegrandam esse obliviscuntur, vel potius negant.

Nam illa vetusta «classicismi» opinione, qua inconsulte ac temere adhuc tota syntaxis totusque stilus Latinus ad Ciceronem quasi redigitur, illa consequenti purae incorruptaeque Latinitatis opinione, adhuc, pari inconsiderantia et temeritate, Latinae linguae totum et summorum, qui post Ciceronem fuerunt, scriptorum eripitur lexicon tamquam impurum sit atque corruptum.

Sed jam tempus est has extirpandi opiniones, tempus est non aurificis examinandi statera, tempus est Latinae linguae reddendi lexicon tot tamque praestantium scriptorum christianorum maxime, qui re tantum Latinam locupletaverunt linguam: Tertullianum enim et Lactantium et Ambrosium et Augustinum et Hieronymum senioris vel cadentis vel infimae Latinitatis auctores iudicare nihil aliud patefacit nisi parum acutam mentem et parum subtile iudicium.

Quantum vero ad nova nostrorum temporum verba pertinet, omnia dicam, et difficillima, Latina reddi posse, sed, ut haec accurate atque perspicue reddantur, cum illam purae incorruptaeque Latinitatis opinionem reiiciendam, tum sine ulla dubitatione audendum.

Non enim fanatico Ciceronis cultu novis oportet vestis aut spiritus aut

color mutantur verbis, non fanatico Ciceronis cultu nova oportet gravibus verborum circuitibus opprimantur verba: immo non solum ex Graeca lingua deducta, non solum in *-ismum* exeuntia verba integra relinqui et tantum in sono vel in exitu Latine reddi, sed etiam difficillima ad reddendum verba in Latinam linguam integra transferri possunt: ceterum nemo est qui ignoret Latinam linguam plurima a Graecis, haud rara a Gallis et ab Hispanis et ab Afris et ab Hebraeis mutuata esse verba pristina eorum servata integritate.

Quibus de rebus, antequam concludo, non possum non Antonii Bacci facere mentionem, qui primus novorum verborum confecerit Lexicon; quod, cum nec perfectum nec absolutum sit, ut ait ipse auctor, maximi tamen momenti opus.

Sed haec hactenus: meum igitur est iudicium Latinam linguam non solum in lexico, sed etiam in syntaxi et in stilo esse renovandam: ne diutius Erasmus expectet, Erasmi heredes, Latinam linguam tandem in syntaxi, in stilo, in lexico renovemus.

Prof. RICHARDUS AVALLONE

Romae

Ad Collegas Leidenses *

*Notam planitiem quam laeto pectore ab alto
Adspexi veniens irriguumque solum,
Cum mihi velivolo curru super oppida vecto
Fines ostendit terra Batava suos!*

*Vanuerant patriae spissis in nubibus Alpes,
Oenus vanuerat Danuviusque procul,
Cerni cum celeres alae coepere molarum,
Oppidula et sparsae laeta per arva domus.*

*Apparent vitrei per roscida prata canales,
Sulcantesque graves flumina lenta rates,
Protinus et patet urbs, quam perfluit Amstelis unda,
Qua mare prospectans regia celsa rubet;*

*Hic, velut adpictis natura, cingit Haarlem
Floribus innumeris, mirus ut hortus, ager;*

*Tellurem dicas varios finxisse tapetas,
Priscas ceu Poenas Assyriasque nurus*

*Flos ibi multicolor depingit gramina, qualis
In viridi palla vivida gemma nitet,*

*—Quamquam nomine in hoc sensus mihi metricus haeret,
Ne fiat temere syllaba longa brevis,*

*Incerto túlipam dicam potiusque tulípam:
Si forte erravi, parce, Camena, mihi—.*

*E gracili calamo supereminet alta corolla,
Sive colore crocum, sive imitata rosas.*

*Educat hunc hortis clausis Florentia florem,
Sponte vel ad solem gignit apricus ager,*

* A. D. MDCCCCLVI, a die XXIII ad diem XXVI mensis Septembris Lugduni Batavorum Iuris peritorum concilium habitum est a Belgica Societate Antiqui Iuris studiis provehendis, ut quotannis fieri solet, indictum. Cum advenae discessuri essent, lautum convivium celebratum est. Quo in convivio hoc carmen ab Hugone Henrico Paoli compositum, Vincentius Arangio-Ruiz, absentis poetae voluntati obsecutus, sollemniter recitavit.

*Dum simul innexis calamis mixtisque corollis
 Crescit, rus varians, flosculus ille levis,
 Vitam cui tenuem venti nomenque debere,
 Vertit et ad Zephyros usque recline caput.
 In florum terram florum qui venit ab urbe,
 Non ita se dulci sentit abesse domo.
 Haec loca post longos menses quo corde reviso!
 Ut rident oculis rursus amica meis!
 Salve, cara mihi peregrino, terra Batava,
 Pollens divitiis gente superba tua!
 Mente regente manum quid vis Titania possit
 Gens in perpetuo dura labore docet,
 Arctoo pelago fortis subducere terram
 Obicere et victrix moenia magna mari.
 Oris ex ipsis subiectos desuper agros
 Advena vix credens adtonitusque videt;
 Hinc rabide raucis ululatibus aestuat aequor,
 Molibus et magnis unda repulsa furit;
 Hinc sine fine virent pometis consita rura,
 Arvaque bos patiens aggere tutus arat.
 Nunc inter socios me, fidos inter amicos
 Notas in terras Attica iura vocant;
 Cogit enim veteris consultos undique iuris
 Fluminis ad ripas inclita Leida sui.
 Quos omnes cithara Tuscus salvere poeta
 Inter symposii pocula laeta iubet.
 Omina fausta ferunt Hoetink summusque Van Oven,
 Nuncupat^o auspiciis vota Foenstra bonis.
 Leidensisque fuit coetus qui splendidus auctor,
 De Visscher, properat tollere rite scyphum.
 Ferventis pariter tollamus pocula vini:
 Prodest ingenii Bacchicus ipse furor:
 Nos antiqua iuvant veterum si iura, sodales,
 Antiqua et veteri sunt data iura mero.*

Hugo HENRICUS PAOLI

www.culturaclasica.com

Ad Collegas Avennicos

*Me, Provincia, quis tua rursus ad arva reduxit
Mite sub hoc caelum, terra beata, tuum,
Ostentans veteres ubi surgit Avennio turres,
Arx metuenda olim Pontificumque domus,
Ad loca quae cecinit divina voce Petrarca
Undis ac liquidis Sorgia lenta secat?
Clausam ut dulce fuit mihi tandem visere Vallem,
Herbas qua virides grandia saxa premunt,
Ac refluxo gelidae salientes gurgite, notum
Perpetuo revocant murmure carmen aquae!
Albi vere novo descendunt undique flores,
Arbor dum dominae fulcit amica latus;
Ut vitreae gemmae, variant in crinibus aurum:
Flos petit hic vestem, flos petit ille comam,
Decidit aut Zephyris sic actus, sic vagus errat,
Nuntiet ut volitans: «Hic dominatur Amor».
Lymphae perspicuae, suadenti frigore lymphae,
Nonne inter silvae Laura vagatur adhuc?
Pectore nonne Italus vates miratur eodem
Colles hos nitidos Francigenumque nurus?
Inter et hoc colles, dilecte Capelle, sodales
Iunxit quos hodie lingua Latina vetus,
Pocula dum fervent, fraterno corde saluto,
Ipsam dum profert omina fausta merum.*

Hugo HENRICUS PAOLI

DE POËSI AC POËTIS QUID PROTULERINT RHETORES ANTIQUI

Poëta, sive carminum auctor sive fabularum conditor est, natura ipsa valere semper est visus. Ille certe mentis viribus excitatur et quasi divino quodam spiritu afflari censetur; quare Ennius sanctos appellat poëtas, quasi deorum aliquo dono et munere commendati nobis esse videantur (Cf. Cic. *pro Arch.* 8, 18). Unde illud antiquorum de poësi dictum: «O praeclaram emendatricem vitae poëticam»

Certe, et jam in limine dicam, ut in his locis ubi multae nascuntur herbae ad remedium efficaces, in iisdem multae nascuntur lethales, sic in poëtis —et quidem antiquae et nostrae etiam memoriae— multa praeclara, multa pestifera. Ideoque, ut quidam amethystum adhibent in computationibus adversus ebrietatem —ut auctor est Plinius, *N. H.* 37, 9, 3—, multo magis in poëtis tum domi legendis tum in schola delibandis, praecepta sunt adhibenda, ne quid inficiant animum.

Verum tamen, valde consideranda sunt quae christianus ille philosophus —Albertum dico, cognomento Magnum—, aiebat: «Poësis cum hominem in admirationem ducat, dat modum philosophandi» (*In I. Metaph. Tract.* 2, 6, 2). Et licet aliquando fallat poësis, quippe quae argumenta conficta versare plerumque videatur —sed adeo scite ut vera credantur—, tamen fallendo prodest, nam per fictionem veritati admixtam quid sit turpe, quid sit honestum discimus. Sic, Dante Alighieri ita canit:

O voi ch'avete gl'intelletti santi,
Mirate la dottrina che s'asconde
Sotto il velamine degli versi strani! (*Divin. Com., Infern.* 9, 61-63).

Et profecto ita se res habet.

POETARUM MAGNA EST TUM UTILITAS TUM AUCTORITAS

Sit igitur sanctum apud humanissimum quemque hoc poëtae nomen, quod nulla unquam barbaria violavit, ait Cicero (Cf. *pro Arch.* 8, 19). «Saxa, inquit, et solitudines voci respondent, bestiae saepe immanes cantu flectuntur atque consistunt; nos instituti rebus optimis, non poëtarum voce moveamur?» (Cic. *loc. mem.*).

Nam ut in eisdem pascuis, apis florem sequitur, capra fruticem, sus radicem, quadrupeda fructum, sic in poëtis alius aliud quaerit, hic historiam, ille sermonis ornamenta, hic probationes, ille praecepta vivendi. Neque hoc satis, nam poëtae obscena vituperant, et virtutem honestant. Suis enim carmi-

nibus solantur inopes, avertunt morbos, pericula pellunt. Deinde —quod potissimum est— Deum placare videntur ab eoque et pacem impetrant et locupletem frugibus annum. Horatius (*Epist.* 2, 1, 117 sqq.):

Scribimus indocti doctique poëmata passim.
 Hic error tamen et levis haec insania quantas
 Virtutes habeat, sic collige...
 Torquet ab obscenis jam nunc sermonibus aurem,
 Mox etiam pectus praeceptis format amicis,
 Asperitatis et invidiae corrector et irae;
 Recte facta refert; orientia tempora notis
 Instruit exemplis; inopem solatur et aegrum.
 Castis cum pueris ignara puella mariti
 Disceret unde preces, vates ni Musa dedisset?
 Poscit opem chorus et praesentia numina sentit.
 Caelestes implorat aquas docta prece blandus;
 Avertit morbos, metuenda pericula pellit;
 Impetrat et pacem et locupletem frugibus annum:
 Carmine Di superi placantur, carmine Manes.

Haec ille. Quandoquidem poëtae magnam in mores hominum vim habere possunt, nam «aut prodesse volunt, aut delectare, aut simul et jucunda et idonea dicere vitae» (HORAT., *De Art. Poët.* 333-334). Quin immo, semper homines «delectando pariterque monendo», punctum omne ferunt, «miscentes utile dulci» (Cf. *Id. Ibid.* 343-344).

Istius autem tum auctoritatis tum utilitatis, quae carmina prae se semper tulerint, suffragatores sunt scriptores veteres, quorum placita hic recensere supersedeo. (Vide tamen OVID., *Fast.* 2, 83-94, quem locum illustrant PLIN., *N. H.* 9, 8 et GELL., 16, 19, 2. Consule etiam SILV. ITAL, 11, 443-451, qui de Argolicis agit populis. Confer etiam HYGIN., *Fab.* 6, 7; PROPERT., 3, 2, 3 sqq.; OVID. ubi agitur de Orpheo, in *Metam.* 11, 1 sqq.; HORAT., *De Art. Poët.* 196-201 et 391 sqq., cet.).

Hanc poëtarum vim, quae ad rectam vitae rationem instituendam in suis versibus inesse videtur, tangit Plutarchus (*Moral.* 3, 5), ubi haec profert: «Ut apicula ex flosculis sucum mellis colligit, cum alii non delectentur nisi colore et odore, sic philosophiae studiosus et ex poëtis invenit quod ad bene vivendum et ad vitae mores informandos conducatur, cum alii tantum voluptate deliniantur».

Alioqui, poëtas castos esse decet, etiamsi versus ipsi casti interdum non sint. Ita Catullus (17, 5, 5):

Castum esse decet pium poëtam
 Ipsum; versiculos nihil necesse est.

Et Martialis (*Epigr.* 1, 5, 8): «Lasciva est nobis pagina, vita proba est».

Vereor ut hi vel philosophi vel poëtae tam castos habuerint animos, quam calamos, et revera id praestiterint factis, quod verbis dicitaverint.

Utrumque tamen affecti illi sunt, rem ipsam persequamur, dicamusque —et sane cum Ovidio auctore, *Rem. Am.* 757—, haec poëtarum effata, quae vel minus probe dicta, vel omnino prava videntur, fugienda nobis esse:

Eloquar invitus: teneros ne tange poëtas
Submoveo dotes implus ipse meas.

Enimvero, evenire solet, ut etiam foedis animantibus scite effectis delectemur. Ita et in poësi, quia est rerum adumbratio, etiam mala recte effecta delectant. Ideoque cautio omnibus adhibenda est. Et ut in parricidio aut in aliquo alio scelere depicto, artem modo laudamus ejus qui pinxit, rem ipsam detestamur, itidem in poëtis elocutionem imitabimur, res subjectae, si malae sint, execrandae nobis erunt. Neque enim sic est parendum poëtis aut philosophis, quemadmodum pueri obtemperant paedagogis, sed ut Cato puer parebat quidem paedagogo jubenti, sed rogabat quam ob causam id juberet. Ita prorsus fides habenda est auctoribus, si causam idoneam reddiderint. Et ut medici cantharide, quae lethale venenum est, pedibus tamen et aliis remedio utuntur, ita licet ex eadem poësi decerpere, quo medearis illius veneno. Nam semper aliquid admiscent poëtae, quo significant se damnare quod narrant (Cf. PLUTAR., *Moral.* 3, 8).

Haec de carminum probitate, dicta sufficiant. Ad secundam jam partem hujus commentationis moliamur iter, id est, ad ea quae ex auctorum sententia reipsa verum poëtam faciunt.

DE NUMINE POETICO SIVE DE POETARUM MENTIS AFFLATU

Jam Cicero dixerat «poëtam bonum neminem sine inflammatione animorum exsistere posse» (*Orat.* 2, 46). Ut enim oracula divino afflatu funduntur, ita nemo poëta sine inflammatione quasi furoris unquam fuit. Reapse «facit indignatio —id est, mentis concitatio— versum», ait Juvenalis, *Sat.* 1, 79. Haec autem vis vel instinctus poëtarum —quam nos sermone patrio «*inspiración, estro*» appellamus— est veluti numen quoddam sive «deus», qui homines agitat et mirum in modum afficit, ut semina mentis proferant. Ovidius (*Fast.* VI, 5-6):

Est deus in nobis, agitante calescimus illo:
Impetus hic sacrae semina mentis habet.

Idem alibi (*A. Am.*, 3, 549-550):

Est deus in nobis, et sunt commercia caeli;
Sedibus aetheris spiritus ille venit.

Jam vero, cum numine ejusmodi —vel potius mentis aestu— quispiam extollitur ac gestit, quamvis antea minime a musis fuerit commendatus, poëta certe reputabitur. Ita sentit Plato, qui hoc loco sub «Ἐρωτος» numen poëticum

designasse constat (*Sympos.* 196, E): Πὰς γοῦν ποιητὴς γίγνεται, κἄν ἄμουσος ἢ τὸ πρῖν, οὐδ' ἂν Ἔρωσ ἀφῆται.

Ac proinde est cur poëtae nullo modo mediocres esse possint. Non agitur hic de illa mediocritate, quam auream vocant scriptores, quaeque in laude ponitur (Vide HORAT., *Od.* 2, 10, 5), sed de jejuna et arida dicendi ratione perexigui ingenii propria, quae quidem iucunditate caret et omnium animos obtundit. Neque homines neque dii neque res ipsae inanimae mediocritatem istam perferre queunt: «Non homines, non di, non concessere columnae» (HORAT., *De Art. Poët.* 373).

De malo poëta, qui suis versibus nugas tantum agit, et frigida solum leviaeque deblaterat, quippe quod numine poëtico prorsus careat, loquitur argute Cicero. Cum Syllae libellum malus poëta de populo subjecisset, quod in eum epigramma fecisset, tantummodo versibus alternis longiusculis, statim ex iis rebus quas tum vendebat, jussit praemium tribui, sub hac conditione, ne quid postea scriberet. Existimabat ille etiam mali poëtae operam aliquo dignam praemio. Simul autem et silentium redemit ab eo qui scribere nesciret; quemadmodum facetus quidam apud nos, si quando incidisset in malum tonsorem, dabat duplum pretium, hac lege, ne rediret. (Confer *Pro Arch.* 10, 25). Et Dionysium sua carmina recitantem, cum alii per assentationem laudarent, exclamavit Philoxenus: «Abducite me in latumias». Subindicans hoc esse tolerabilius, quam audire laudareque tam mala poëmata. Nam antea rex offensus, miserat illum in lapidicinas (cfr. SUIDAS, 3, 7, 2).

Adde quod poëtam cum versificatore confundendum non est, licet iste magna felicitate versus fundat, nam multum differt inter utrumque: poëta enim est qui apte invenire ac fingere imitando potest, simulque versus idoneis verbis componere; versificator, qui alterum dumtaxat praestare valet (Cf. QUINT. *Inst.* 10, 1, 3).

Verus e contra poëta, qui illo mentis afflatu movetur, atque adeo in vates cooptatur, incredibile dictu est quam supra res omnes erigatur, ut ipsum caelum contingere sibi liceat:

Quod si me lyricis vatibus inseres
Sublime feriam sidera vertice (HORAT., *Od.* 1, 1, 35-36).

Denique, poëticum numen facit, ut, licet inter sese discrepent poëtae suamque quisque viam et rationem in carminibus condendis arripiat, tamen sacrorum quaedam inter eos communio intercedat, juxta illud Nasonis:

Sunt tamen inter se communia sacra Poëtis,
Diversum quamvis quisque sequamur iter (*Epist. ex Pont.* 2, 10, 17-18).

DE VERITATE ET FICTIONE POETICA

Hujusmodi autem poëtarum afflatus in veritate nitatur oportet, adeo ut, quae poëtae fingunt, veritati consentanea esse debent, eique quod ejus fieri

possit, accedere necesse est. Idque voluptatis gratia: «Ficta, voluptatis causa, sint proxima veris» (HORAT. *De Art. Poët.* 338).

Itaque, qui fictionem veritati omnino praetulerit, dignus non erit qui poëta nominetur. Siquidem, nihil quod verum non sit potest esse revera poëticum, cum «poësis divinarum humanarumque rerum imitationem complectatur» (ZENO apud DIOG. LAERT. 7, 1, 41). Res est in promptu, ideoque non est nobis in ea diutius immorandum. Ex alio capite, magna est vis veritatis, quae contra hominum ingenia itemque sollertiam facile se per se ipsam defendit, cum veritatis luce nihil sit hominis menti dulcius.

At fictio omnino a poësi —ut ex dictis claret— abesse non poterit. Quandoquidem ut non licet invenire sacra sine tibiis et choro, ita poësim sine fictione non licet invenire. Et ut in pictura plus movet color quam lineae, propterea quod propius hominis formam repraesentet ille magisque tallat, ita fictio, admixta similitudine, magis allicit movetque, quare simplex oratio, quae nihil habeat suci. Non immerito poëtae nominantur qui rem versibus adumbratam, quodam mendacio niti solent, et quemadmodum nomenclatori memoriae loco audacia est, et si cuicumque nomen non potest reddere, imponit; ita poëtae non nimis putant ad rem pertinere, verum dicere, sed aut necessitate coacti, aut decore correpti, id aptum vocari jubent quod belle facit ad versum.

Ceterum, veteres philosophiam —quae veritas nuda est et aperta— cum poësi —quae, prout adumbratio est, fictione constat— conjungere vel maxime amabant. Nam, quemadmodum suavissimae sunt carnes quae non sunt carnes, et jucundissimi pisces qui non sunt pisces, ita maxime delectat admixta philosophiae poësis, et poësi admixta philosophia (PLUTARCH., *de Philoxeno, Moral.* 3, 7). Idem Plutarchus sic suam promit sententiam: «Ut mandragora, juxta vites nascens vinum reddit lenius, ita philosophiae ratio admota poëticae, moderatiorem efficit ejus cognitionem» (*Ibid.*).

Sed tamen cauto est opus, ne fictio poëtica incompta et inscita videatur. Notum est illud Plinii (Cf. *Epist.* 6, 15, 3): Passienus Paulus eques Romanus, sed dubiae sanitatis, cum recitans elegias suas, sic auspicaretur: «Prisce jubes...», Priscus Jabolenus qui tum aderat, «ego vero —inquit— non jubeo». Protinus ingens omnium risus exortus est. Fingunt enim poëtae suo arbitrio quicquid lubet. At Priscus non tulit poëticam fictionem. Item, cum Montanus versus recitaret, quibus exortus solis describebatur, Varus eques Romanus dixit: «Incipit Buta dormire». Rursus, cum succederet descriptio occasus: «Qui dicit —inquit— jam nox est? Ibo, et Butam salutabo», eodem scommate taxans et affectatum carmini decus et Butae praeposteram vitam (Vide SENEC., *Epist.* 122, 13).

CONCLUSIO

Jam quae huc usque fusius diximus, paucis comprehendamus.

Poësis et delectat et monet; nam et voluptate nos afficit, et consiliis etiam animos perurgere non desinit. In ea tanquam in jucundo deversorio requiescimus, sed perpetuo etiam suis nos hortatibus instat.

Poëta ille veri nominis est, qui veritatem in profundo delitescentem eruit et in propatulo, ut ita dicam, ponit. Qui Dei numine afflatus, eam luminibus floribusque convestit et sic ornata praecepta profert bene beateque vivendi.

Poëta sic comparatus immortalitate donabitur, nam eum «mori Musa vetabit» (HORAT., *Od.* 4, 8, 28). Ex Horatii sententia, multi quidem viri fortes ante Agamemnonem exstiterunt, qui quidem in sempiterna noctis umbra manebunt, «carent quia vate sacro» (*Od.* 4, 9, 26). Ille autem quem carmina exornant, aeternum sibi nomen jam in terris comparavit. Carminibus enim fit ut virtus sit expers sepulcri (OVID., *Trist.* 4, 8, 47); ita ut quem celebrant Musae in omnium aetatum memoria sit duraturus nullaque eum delebit oblivio (TIBULL. 1, 4, 65): eum profecto posteritas alet et ipsa aeternitas intuebitur.

LEO M.^a SANSEGUNDO, OSB.

Ex Germania, pridie Nonas Martias, MCMLVI.

CONVENTUS LINGUAE LATINAE «VIVENTI» REDDENDAE AVENNIONE COACTUS

Si inquiras unde *Conventus Linguae Latinae «Viventi» Reddendae* ortus sit, facile in ea commentatione cui est index: «*Le Latin ou Babel*», originem invenies, quam scripsit cl. v. Joannes Capelle, quae multorum variis disciplinis eruditorum animos commovit. Cl. viri propositum his verbis contrahitur:

Sine dubio lingua «internationalis» quasi auxiliaris plane necessaria est. Plerique enim nequeunt quinque vel sex linguas discere atque callere quae necessariae sunt ut disciplinarum rationem et cursum apud eruditos omnium gentium animo complecti possint. Cum autem nullius nationis lingua ut instrumentum, quo omnium gentium homines utantur, adhiberi possit —quam enim proni offensioni sint civium animi scimus—, neque linguae ficticiae, sive Volapuciana est sive Esperanti-

ca, invaluerint, quin ergo ad linguam Latinam rursus pervenimus eamque discipulis ea ratione docemus ut ad commercium utilis eveniat? «Lingua enim Latina pulchra certe praestansque est. Alias tamen virtutes habet; nam si aequales nostri voluerint, lingua Latina aetati posterae evadere potest mirum instrumentum atque aptissimum quo non modo res et cogitata exprimentur, sed etiam quo progressio, fraternitas et pax inter homines foveatur ...

Expertus loquitur Joannes Capelle, qui quidem linguae Latinae magister non est, sed mathematicus atque egregius artis mechanicae doctor. Qui cum conventui suae disciplinae fovendae adesset, ibique confusio multarum linguarum usu suboriretur, vehementer incensus est ut Latinam omnibus utendam proponeret.

Quae proposita ut exsequeretur, cl. vir J. Capelle, Eduardo Theodoro Aubanel, Editore, e clarissimo poetarum genere orto, socio sibi adscito, primum «Linguae Latinae viventis causa Conventum Universum» advocavit. Quid sibi proposuerit his verbis constat:

Hic conventus, qui Avennione, praeside honorario Administro publicae Institutionis, Universitate Aquae Sextiae (*Aix-en-Provence*), Urbe Avennica, a die 2 ad 6 m. septembri anno 1956 habebitur, ad hoc maxime pertinet

et hanc quaestionem ponit: quem locum hac nostra aetate teneat quemque sit habitura lingua Latina; quod si Conventus bene processerit, illa instrumenta excogitabit quibus lingua Latina «vivens» vigsque reddi possit.

Praecipuae quaestiones de Grammatica, de litterarum appellatione seu pronuntiatione, de ratione ac via linguae Latinae tradendae, de novis verbis conformandis, in conventu pertractandae, praepositae sunt et doctissimis viris, qui iis pervestigandis vacarent, sunt traditae.

CONVENTUS PRAEPARATIO. «Primus Conventus Latinae linguae viventis causa» —ita E. Th. Aubanel— quamquam magni momenti est, non nisi quaedam statio est; cujus est hominum bona voluntate praedictorum con-

junctionem veluti confirmare, et proposita, quae ad rem et usum pertineant, amplecti. Ex iis quae non modo grammatici sed etiam lectissimi viri variis dissimilibusque disciplinis doctissimi significarunt, summa sperare licet».

Quae sapientium significationes typis mandatae prius quam conventus est congregatus, atque commentariolis periodicis evulgatae, id effecerunt ut luce veluti perfunderentur nova Conventus proposita meliusque definirentur. Sapientium sententiae omnes dignae sunt quae dilaudentur; eas tamen praesertim commendandas existimamus quas cl. vv Renatus Waltz, A. Grisart, J. Le Gall (qui quidem pessimum linguae Latinae hostem *glossarium* seu *dictionary* arbitratur, idque argumentis roborat [!]), A. Guercio, Stephanus Garreau, Bacci, S. Morris, alique scripserunt. Prae primis autem aestimandam, quam A. Grisart exaravit, ducimus, quin reliquas minoris faciamus.

Conventus vere «internationalis» fuit. Ibi congregati sunt viri undequaque collecti, ex 22 civitatibus legati, ex Africa nempe Meridionali, Germania, Australasia, Austria, Belgio, Canada, Civitate Vaticana, Cuba, Hispania, Americae Septentrionalis Civitatibus Foederatis, Finnia, Gallia, Anglia, Graecia, Batavia, Hibernia, Italia, Romania, Helvetia, Syria, Turcarum Republica, Venetiola. Ex Hispania convenerunt RR. PP. E. Díaz, qui commentarios «Helmántica» moderatur, F. Sánchez Vallejo, in Universitate Comilensi magister, J. Jiménez, in Universitate Salmanticensi Ecclesiastica Latinae linguae doctor, J. Mir, PALAESTRAE LATINAE moderator, qui etiam legatione fungebatur Societatis Hispanicae Studiis Classicis provehendis, et Academiae Cursusque Linguarum Polyglophonici CCC.

RERUM EVOLUTIO ATQUE EXPLICATIO. In Conventu primus verba fecit H. Diffaut, qui tum vices Urbis Praefecti absentis gerebat. Cui assidebant, Renatus Morisset, proprius Administris publicae Institutionis provehendae legatus, et J. Capelle, Conventus moderator. H. Diffaut ducentos ex omnibus civitatibus viros salutatione humanissima excepit, cujus haec verba in Latinum conversa referre juvat:

...Cum ratio temporis id postulaverit, mihi maximo in primis honoris est praeclaros viros et plurimis dissitisque Orientis et Occidentis solis nationibus delegatos salutare, qui hodie hoc lucido aestatis mane in hac urbe congregati estis, quae quidem olim civitatum christianarum —ab ipso Romano Imperio profectarum— caput existit.

.. Neque vero scio an nulla sedes ad hos labores a vobis aptior deligi potuerit quam urbs Avennio, ubi Petrarca adulescens litteris vacavit, quaeque saeculo XIV aliarum civitatum caput est constituta, suoque nomine et gloria Romae memoriam quasi obruere visa est..

Petrarca ad linguae Latinae scientiam —praeclaram quidem rem— litterarum Latinarum vim et sensum, quod sane pluris est, conjunxit.

Ille tunc, sex abhinc saecula, est assecutus, quod et vos assequimini, hanc perennem linguam conjungere et perpetuo conjuncturam esse in animorum consortionem illos qui ea uterentur, ita ut ejusdem propositi ejusdemque cultus participes fierent. Animo enim complectimini hoc propositum huncque litterarum antiquarum cultum inter studiosos vinculum gignere, quod juxta illam sententiam omnes homines bonae voluntatis in unum cooptet...

Romani ex veteri Mari nostro profecti in omnia maria irruerunt; quod facinus mihi consideranti in mentem veniunt illa praeclari Michelet verba: «Si quidquid laboris et sanguinis et auri post hominum memoriam in commodum generis humani a singulis gentibus Latinis gratuito est impensum in conge-

riem coacervaretur, summam metam ad sidera elatum iri»...

Sermonis Latini «viventis» opera, tempus, quod proximum puto, erit, cum illam sodalitatis speciem, quam et animo et mente vehementissime exspectamus, attingemus».

Deinde J. Capelle paucis verbis complexionem illam seu dilemma iterum exposuit: «Aut linguam Latinam aut Babelicam confusionem».

Post haec Joannes Bayet praecipuam dissertationem «de grammatica Latina» dixit, cujus summa illis verbis continetur quae supra in hoc fasciculo (p. 203) scripta sunt.

Postquam Cl. vir dicendi finem fecit, et alii relationes ad rem spectantes legerunt. «Linguam Latinam linguam universalem» fecit multisque argumentis monstravit P. J. Jiménez, C. M. F., in Universitate Pontificia Salmanticensi doctor. Quam vero tunc dixit orationem, novis rationibus locupletatam et auctam, superius (p. 193 sqq.) leges.

Amadeus Pacitti, quod in grammatica Latina tradenda, in declinationibus praesertim, —quae in unam reducantur— usu didicit, auditoribus exposuit: qui intento animo ejus verba exaudierunt.

Mauricius Mignon brevibus ac firmis argumentis dixit «linguam Latinam unam esse quae universalis eveniret». Contentionem enim cum aliis linguis nullam movet; ab Ecclesia adhibetur; omnes populi qui ad Occidentem vergunt, ea usi sunt, unde hodiernae linguae promanarunt; facile accommodari potest necessitatibus nostrae aetatis; floruit vixitque aetate quae ex renascentibus artibus scientiisque nomen sumpsit, atque hodie ubique terrarum colitur.

Etiam suam proposuit relationem R. Marache, in Universitate Rennensi doctor, qui necessitatem sermonis Latini viventis ad rectam institutionem (*necessité pédagogique du Latin vivant*) commenstravit. Cujus sunt haec verba e sermone Gallico conversa: «Fieri non potest ut aliquis paginam latine scriptam plane pleneque calleat nisi capax sit aliquid Latine scribendi...».

Cl. v. Kurt Stegman von Pritzwald, in Universitate Marpurgensi doctor, de lingua Latina ut «Idiome social de l'affinité occidentale» egit.

Sermonis Latini usus vehementissimis acerrimisque verbis impugnatus est a scriptore quodam, cui nomen «Jean Louis Nicolet», qui haec impudentia protulit: «L'enseignement du Latin est une gigantesque mystification qui dure depuis plus de mille ans et qui doit cesser!...». Qui tunc Latinitatem tuendam susceperunt, magna ad id difficultate laborarunt,

cum arma et tela —cultus atque humanitas, virtus a Latinitate promanans—, jam dudum hebetata sint atque obtusa. Si tempora sunt immutata, quidni argumenta aetati nostrae congrua innovemus? Ad ea ergo quae contra disputantur nostra aetate, quaeque praecipua habenda sunt: linguam Latinam emortuam esse, in eaque addiscenda tempus teri, respon-

sum quaeramus quod in sociologia, quam dicunt, linguistica fulciatur. Id ergo quaerendum: quae utilitas ex usu linguae Latinae hominum societati proventat.

Dr. Enk, in Universitate Groningana magister emeritus, id monstravit. «Quae causa esset cur scientia linguae Latinae nostris temporibus vulgo tantopere imminuta sit, quibusque modis augescere possit». Cujus disputatio in hoc fasciculo editur (p. 213).

Julius Meunier defendit sermonem Latinum, immo et classicum, iterum linguam communem in omnium gentium conventibus usu venire posse. Hujus rei necessitatem et media breviter enarrat ac potius menti subicit quam verbis exponit.

Richardus Avallone, in Universitate Romana Philologiae Graecae et Latinae doctor, conditor ac moderator eorum commentariorum qui Antiquitas inscribuntur: «Linguam Latinam, inquit, in stilo, in lexico, in syntaxi renovemus». Cujus relationem in hoc fasciculo legas (p. 215).

COETUS POSTMERIDIANUS. Coetu postmeridiano unus litteras appellandi modus seu pronuntiandi conquisitus est. Praecipuam dissertationem habuit Dr. Burck in Universitate Kielensi doctor, praeses Societatis quae Germanicorum Grammaticorum Consociatio (*Deutschen Philologen Verbanden*) nuncupatur.

In ea validis argumentis demonstravit et opportunitatem et necessitatem pronuntiationis classicae restituendae. Quidquid de modo pronuntiandi unusquisque sentit, id omnes concedunt restitutum atque usu exercitum volunt illum appellandi modum quo usi sunt Romani extremis saeculis ante Ch. n. et primis post Ch. n. Quod cum haud facile sit, omnes id saltem volunt ut uno eodemque sonu litterae Latinae ubique terrarum exprimentur. Id fieri non poterit nisi de jure suo — ut ita dicam — latine loquentes cedant atque in quadam veluti pactonem veniant.

In restituenda pronuntiatione haec proponenda putat: 1. Unaquaeque littera, sive consonans est sive vocalis, clare et distincte exprimitur. Singulae litterae suum teneant sonum. 2. Cum verba memoriae mandentur et legantur syllaba vel vocalis longa producatur corripiatur brevis. 3. De ratione acuendi verba Latina multa dixit.

Quibus propositis, de singulis vocalibus et diphthongis, deque litteris j et v, c et g, qu, s, sc, r, h, t, ph, ch, disputavit. Ex his plura inter conventus «optata seu vota», inventes.

RELATIONES. Quid senserit Aloisius Guercio luculenta oratione scriptum alibi (p. 204) in PALAESTRA LATINA invenisti.

DIE 4 MENSIS SEPTEMBRI

Omnes conventus participes Romanorum monumenta, quae Arausione (*Orange*) exstant, lustrarunt, et monumenta Vasionense (*Vaison-la-Romaine*) jam effosa et quae nunc effodiuntur, sunt mirati.

Hora 9 vespertina Albertus Grisart summa auctoritate et maxima, qua pollet, eruditione de ratione et condicionibus, quibus iterum litterae humaniores instaurari possint, luculenta oratione dixit.

Quem dum adstantes exspectabant cl. oratorem, J. M. Mir, C. M. F., breviter novam rationem linguam Latinam edocendi, quae vulgo «Cursos Latinos Fonobilingües CCC» audiunt, exposuit atque auditoribus orbes seu discos phonographicos audiendos praebuit.

DIE 5.

Praecipuam orationem casto elegantique sermone Latino habuit Gue-
rinus Pacitti, moderator Officii Latini apud Institutum Studiis Romanis
provehendis, in Italia, qui amplissima dissertatione pervestigavit «Utrum
liceat necne, quibus modis sint verba novanda ad novas res significandas».
Quae et veteres et recentiores, de verbis novandis aptandisque senserint,
colligit et quasdam leges proponit ad quas verba nova, aptata vel inventa
conformentur. Quae leges hae sunt:

I. — Quandoquidem Latinitas perraro negat se quaerentibus adfuturam esse, dummodo impigre, dummodo sapienter thesaurum inspiciant, omne studium conlocandum esse in novis rebus significandis — quantum fieri potest — verbis jam usitatis;

II. — necessitate tantum adductis nobis nova verba excudenda esse, eaque de Latino, vel saltem de Graeco sermone haurienda, dummodo cum in derivandis tum in sumendis leges servemus, quas veteres, secuti sunt, analogiae praesertim;

III. — polynomium seu verbum saepius Graecis, rarius Latinis vocibus concretum, maxime aptum habendum esse ad nova inventa interpretanda, dummodo leges observentur quas veteres in componendis verbis sunt secuti. Parcius tamen hybridas, quae dicuntur, adhibendas esse voces;

IV. — verba per onomatopoeiam interdum novanda esse, qua quidem cum veteres tum cujusvis aetatis scriptores locupletiores sermones fecerunt;

V. — e veteribus multa per analogiam significationis propriae vel translatae detorqueri posse ad novas res significandas;

VI. — multum verba ad rem posse confer-

re quibus subvenit olim Latinus «romanictis» sermonibus qui vocantur;

VII. — in commentationes, quibus scientiae pervestigations sint pervulgandae praesertim de mathematica disciplina, verba induci posse a scriptoribus usitata vel post saeculum undecimum p. Ch. n. (quod quidem diligentissime commendatum voluisse Institutum Romanis Studiis provehendis ex actis V Conventus Romae habiti accepimus);

VIII. — ne sesquipedales circuitiones verborum impedimento sint, quominus res novae perspicue significantur, in libros, in commentationes condendas, quibus sint doctrinae indagations pervulgandae, verba recipi posse, quae in sermones recentiores usque inducantur, in *-ismum*, *-istam* cadentia;

IX. — verba adventicia et peregrina civitate donanda esse, dummodo ea ad linguae Latinae normam ac rationem accommodentur legesque serventur, quas secuti sunt veteres in recipiendis peregrinis verbis;

X. — omnia verba, a quovis fonte deducta, flexione Latina ornanda esse. Quod si tamen longius a Latinitate abhorreant quam ut Latina induantur veste, aliquam his locutionem esse praeponendam, qua pateat omnibus nullo modo istiusmodi verba in Latinitatem recipi potuisse.

Digna sunt quae afferantur verba quibus orationem finivit G. Pacitti:

• Tandem, ne quaestionem infinitam usque consecremur, hoc saltem definite statuendum putamus, ut praestantissimorum ingeniorum opera collegium aliquod constituatur, cuius auctoritas plurimum valeat cum in praeceptis

ac legibus constituendis, quibus sint novanda, quibus fingenda nova verba, tum in iudicando quae sint admiscenda sermoni verba a novatoribus ficta, quae vero respuenda ».

Hac de re etiam J. M. Mir, C. M. F., qui cum saepe alias, quid de verbis novandis senserit, exposuisset, «Linguam Latinam novis vocibus renovandam esse» statuit.

C. Egger, qui munere ab actis *Latinitatis* Vaticanae fungitur, «latine et enucleate de rationibus disseruit, quas viri commentariis iisdem edendis praepositi in novis servant verbis faciendis». —Nobis equidem solacio est quod in eandem fere sententiam ac P. Mir devenerunt. Quod sane non potest Latinitati, quam colimus, non favere.

Cl. v. J. Volkringer, rei medicamentariae doctor, quomodo lingua Latina communi hominum valetudini inservire possit, quaesivit. Quis medicamentarius medicamentorum quot nationibus tot nominibus variis decoratorum, sine magno labore sciens fieri poterit? Quin omnes medicinae una, eaque Latina, voce appellentur? Quod sane inauditum fore nemini videatur. Ad extremum enim saeculum XIX libri publici, ad quos in medicamentis parandis sese conformare debebant medicamentarii, sermone Latino scripti fuerunt. Pharmacopoeae autem Civitatum Americae Septentrionalis latine scripta sunt ad annum 1831, Hispanica ad 1865, Helvetica ad 1872, Germanica ad 1882, Japonica ad 1886, Norvegica ad 1893, Batava ad 1905, Belgica ad 1906, Finnica ad 1914, Hungarica ad 1934, Austriaca tandem ad 1938. Quod vero heri, maximo omnium medicamentorum commodo fuit, cur hodie non poterit, cum major in dies urgeat necessitas?

IN CONVENTU POSTMERIDIANO: Goodwinus Beach (*Bonamicus Actensis*) de ratione ac via aptiore linguae Latinae alumnis tradendae disputavit.

Qui primum dixit multum linguae Latinae nocere quod «morta habetur; quam opinionem, commenticiam quidem, et magistri hujus disciplinae, neque in litteris neque in colloquiis linguam Latinam adhibentes, fovent ac nutriunt. Pueri, qui plenioram vitam spectant, aversissimo animo oderunt atque effugiunt quidquid mortuum sapit. Vivam ergo faciamus linguam Latinam! Linguae Latinae provinciae fines ita protrahamus ut ea omnes scriptores Latinos contineantur. Pueros non felle sed melle nutriamus. Quiddid cl. v. in sua ad Quirites oratione tradidit, his verbis breviter contractum lege:

1. Censeo notionem hanc pravissimam: linguam Latinam demortuam esse, e mente magistrorum, discipulorum, uno verbo uniuscujusque et universorum evellendam, extirpandam, funditus tollendam;

2. censeo, ut hujus voti compotes simus, ratione studiorum arida atque e vita aliena

supersedendum et jucundiorum gratiorumque methodi Erasmi haud dissimilem instituendam esse;

3. censeo eisdem methodis docendi utendum quibus magistri in linguis hodiernis docendis utuntur, ut haec nostra lingua discipulis tam viva, tam vivax obiciatur quam linguae hodiernae;

4. censeo discipulos quam tenerrima aetate acceptos, eo modo, qui aetati maxime idoneus sit, elementis sermonis vivi erudiendos atque pariter ut adolescent, severius arte grammatica arte scribendi loquendique instituendos ut pedetemptim ad scriptores optimos adducantur, neve methodo linguarum hodiernarum desciscatur;

5. censeo peritis scribendi persuadendum ut vel fabulas e scriptis Medii Aevi excerptas in sermonem elegantem redigant vel recentes convertant vel novas conscribant festivas jucundasque;

6. censeo magistros Linguae litterarumque Latinarum hortandos, immo admodendos ut quam saepissime ipsi inter sese Latine scribant et colloquantur ut lingua et sibi ipsis et discipulis viva esse videatur;

7. censeo ut nos moribus delicatis conquerendi exutis et cestus induti ad hostes nostros, obrectatores hujus disciplinae quae

olim caliginem ignorantiae corde hominum excussit, qua una juvenes ad aenigmata hujus aevi resolvenda instituantur, profligandos prodeamus;

8. censeo denique ut acta hujus Congressus in omnes partes orbis terrarum disseminentur et divulgentur.

Huc spectant quae A. Grisart, doctor in regali Athenaeo «Verviens» oppidi, disputavit, «de veris causis et majoribus et minoribus ob quas lingua Latina discenda est et de optimis viis et rationibus quibus in scholis mediis docenda est». Quid causae sit quod litterae et Graecae et Latinae omnibus colendae proponantur, ita exponit:

«Namque litterae Latinae et Graecae non propter vetustatem, sed ob vires proprias discuntur, neque antiquitatis causa sed humanitatis gratia in humanioribus saltem studiis adhibendae sunt vel potius, sicut ego quidem dicere malo, exercendae et alendae et excolendae. Re vera, sicut agri fit cultura, ita hominis quoque faciendus

est *cultus*; itidem ut humus vel terra, priusquam seratur et metatur, diu et patienter aranda et fodenda et occanda et stercoranda et aliis modis subigenda est, sic puer leniter et paulatim praeparandus est donec homo verus efficiatur»...

Haec etiam verba digna sunt quae mentibus animisque mandentur:

«mentem humanam efficiunt scientiae mathematicae rectam et prudentem, naturales sinceram et veridicam, litterae autem Latinae contractam et conglobatam; Graecae agilem et flexibilem»...

«Educandorum vel construendorum causa et intentio maxima et optima et omnium disciplinarum communis, in humanioribus quidem

litteris, ita definienda est: non acquirere *COGNITIONES* speculativas et appositas quae statim et in praesens tempus puero vel adolescentulo proficere possint, sed potius conquirere *VIRTUTES* generales et additicias quae constanter et ad omnia tempora adolescenti et praecipue adulto viro re vera servient»...

Etiam Felix Peeters rationem viamque ostendit qua poetarum Latinorum scripta sint legenda, quomodo alumni edoceri possint ac debeant in arte versus ex auditu scandendi.

Spectata femina Elisabeth Platt methodum facilem atque pronam ad grammaticam Latinam et Graecam tradendam alumni linguis loquentibus, quae classicarum formam atque modum amiserunt, ut sunt romanicae quae dicuntur linguae. De illa relatione deque opusculis a cl. linguae Latinae magistra proximo fasciculo legentes edocebimus.

P. Basilius Hypeau, in loco En-Calcat (Gallia) monachus sua oratione contendit ut alumni Latinos scriptores tot legant quot possint. Nihil enim ut lectio assidua atque conexa eorum animos allicit, erudit, delectat, eisque linguam Latinam comparandam et gustandam praebet. Opus tamen est collectione quadam seu corpore alumni aptato atque ex omnibus omnium tempore Latinitatis scriptoribus selecto. Cujus corporis libri ita oculis subiciatur ut animos ad legendum statim alliciant.

Pridie quam Congressus finitus est, in Auditorio Summorum Pontificum, opulento apparatu instructum est convivium, cui intersita sunt musica et choreae, omnia antiquo Mediae Aetatis more disposita.

J. Capelle gratias omnibus egit et in primis iis qui sua auctoritate honore et opera ut bene Congressus procederet operam contulerunt. Item E. Daladier verba fecit, quibus salutem dixit et gratiam omnibus habuit, doluitque quod inter tot nationum viros, e civitate Japonica et Sinensi legati desiderarenrur.

Nobilissimus vir Hugo H. Paoli, doctor eximiusque poeta, quod supra (p. 221) exscripsimus carmen, quo adstantibus salutem precabatur, legit, summaque oblectatione convivas affectit.

DIE 6.

Priusquam Conventus finiretur, postremum participes sunt congregati. Cl. v. Blache verba fecit atque olim cultum et humanitatem dixit sub umbra litterarum Latinarum crevisse. Joannes Capelle de proposito et exitu Congressus est allocutus; consilia seu commissiones, quae constitutae sunt, significavit ac tandem vota Congressus legit:

De grammatica Latina optata

Quin detrimentum afferatur proposito adhibendi, in edocenda lingua Latina, methodum illam quam ASSIMIL dicunt, neque aptandi paedagogiam grammaticae Latinae usui et necessitatibus singularum nationum, hujusmodi vota et commendationes ad id quod minimum est grammaticae Latinae classicae tuto et ex ratione assequendum contendunt, quodque est commercio inter gentes omnino necessarium, praesertim vero quod ad res scientificas spectat. Proinde hoc est in votis:

I. — Ut quam accuratissima diligentia linguistica fieri possit, declinationes et conjugationes ordine et ratione proponantur, vi propria (primaria et secundaria) casuum, vocum, modorum temporum designata.

II. — Ut praecipuo usu prima grammaticae elementa exercentur, in quibus sunt nominalia, infinitivi, participla (cum ablativo absoluto); copulandi quoque genera per juxtapositionem et coordinationem et propositiones relativas.

III. — Ut tabula conficiatur locutionum circumstantialium in ordines ex ratione distributarum atque a simpliciore ad ampliorem

gradum dispositarum, propria vi proposita et convenientia inter elementa nominalia, conjunctiones, (coordinativas, conjunctivas, vel adverbiales) et conjunctiones subordinativas.

IV. — Ut propositiones condicionales, reciprocae, earumque formulae quam accuratissime tradantur.

Ad id tempus differri potest stilli indirecti et attractionis modalis studium

Neminem praeterit hanc summam, quae omni grammaticae manuali adjungi potest, unquam impedimentum illaturam esse notionibus ulterius acquirendis admodum subtilibus atque absolutis quibus opus est ut penitus linguam Latinam calleamus

Optata de ratione appellandi litteras Latinas

I. — Ut evolvatur juxta principia supra memorata auditio (directa, id est audita perscribendo) et vocum prolatio (summa voce legendo, recitando, scaenicorum more declamando sermonem Latinum).

II. — Ut omnia vocabulorum elementa distincte et absolute enuntientur.

III. — Ut in libris manualibus, qui elementa contineant, accentus significantur sive apice acuto sive quantitatis syllabarum notatione.

Quae sequuntur vehementer commendantur:

I. — Ut vocalium et diphthongorum prolatio pronuntiationi, quae «restituta» dicitur, conformetur.

II. — Ut non lenis sed dura sit litterarum C et G appellatio.

III. — Ut ratio habeatur labiovelaris (*qu*) in pronuntiatione.

IV. — Ut observetur prolatio oclusivae quae in litterarum serie *sc-*, *st-*, *gn-* invenitur.

V. Ut, quod ad pronuntiationem attinet, signa et transcribendi genus, quibus usa est «Consociatio Internationalis Phoneticae», adhibeantur

Optata de verbis novis effingendis

1. Prius quam vox effingatur, qua nova rei notio significetur, exquirere oportet num fontes lexicis linguae Latinae omnino sint exhausti.

2. Cum vox Latina non suppetat, derivatio aut compositio verborum e fonte Latino repetita adhibeatur.

3. Tertio voces de lingua Graeca hauriantur.

4. Si superiores inventendi vocabula rationes defuerint, Latina reddi poterit vox recens et hodierna quae omnium gentium usu venit, dummodo ne indoles et natura sermonis Latini neglegatur.

Optata de sermonis Latini paedagogia

1. Sermonis Latini paedagogia ne eorum opinione afficiatur qui linguam Latinam mortuam linguam esse praedicant.

2. Pervulgari impense debet sermonem Latinum non tantum humani cultus instrumentum verum etiam utilitatis atque commodi linguam esse.

Conventus tandem commendat:

1. Ut in corporibus seu collectionibus scientificis quae omnibus gentibus sunt utilitati (ut in editionibus criticis textuum antiquorum, in lexicis linguarum classicarum, cet...) lingua Latina pro vernaculis adhibeatur.

3. Totis viribus entendum ut sermonis Latini institutio ac disciplina minus severa reddatur, magisque psychologicae puerorum indoli sint accommodata, quin tamen in quodam levioris facilitatis periculum incidatur.

Ad ineundam sermonis Latini viam, elaborandum ut rerum vitae cotidianae ratio habeatur.

4. Rogantur magistri ut discipulos ordine et ratione comparare cogant atque amplificare idoneum vocabularium quo legere scriptores facile possint.

Docendi rationes seu methodi quae «activae» dicuntur, in edocendo quoque sermone Latino commendantur.

6. Magistri linguae ac litterarum Latinarum cohortantur ut latine conscribant et inter se quam maxime latine colloquantur

7. Praeter scriptores classicos, vehementer exoptandum ut locus quoque detur libellis festivis ac ludicris cum ex antiquitate tum ex medio aevo vel etiam ex aetate nostra et, si opus est iterum exaratis, sed simplicis, castigato, elegantique sermone.

Alia denique in universum optata

Dum coetus proximi conventus exspectatur, fiduciarium institutum seu consilium provinciam suscipit invigilandi hujus conventus commendationibus evulgandis et usu adhibendis ope atque auxilio trium consillorum:

1. Consillium lexico parando;

2. Consillium grammaticae et pronuntiationi curandis;

3. Consillium paedagogicum quod nationum incoepta et progressus paedagogicos cognoscat eorumque ratio habeat.


Omnes qui conventui interfuerunt rogantur ut cum doctissimis collegis consuetudinem ineant quos socios sibi adjungant ut sermo Latinus in hominum commercio lingua scientifica evadat.

2. Ut in commentariis scientificis lucubrationes quae communi omnium utilitati sint latine exarentur aut summa eorum saltem sermone Latino conscripta exornentur.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

NOVA ET VETERA

OCULUS - OCULARIA - MICROSCOPIUM



1. Visus est praestantissimus omnium sensus, quo rerum magnitudinem, formam, colorem cernimus atque earum a nobis distantiam metimur.

Videndi sensus sunt oculi, qui infra frontem positi et in orbes inclusi «tanquam speculatores altissimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere» (Cic. *Nat. deor.* 2, 56).

Oculi sunt figurae fere rotundae, lubrici et mobiles ut et declinent si quid nocere possit, et facile, quo velint, aspectum convertant (cfr. Cic. *Ibid.* 2, 57).

2. Tenuissimae membranae oculum vestiunt; membranam illam albam,

1. **orbes** [*cavidad de los ojos* – *cavité des yeux* – *casse degli occhi*]: apud Ovidium legimus...

«Me luridus occupat terror
Spectantem vultus etiamnum caede madentes
Crudelesque manus et inanem luminis orbem
(*Metam.* 14, 198 200).

GEORGES, *Kleines Deutsch-Lat. Handwörterbuch*, s. v. *Augenhöhle*) habet: «cavea, foramen oculi».

2. **membranae**: quae ab anatomicis «tunicae» etiam vocantur: «Quicquid abscedit, velamento suo includitur; id antiqui *tunicam* vocabant» (CELS. 7, 24, 2). «Callosis contra

duram, opacam — in quam nervus opticus in extrema parte penetrat, cuique in prima parte cornea, maxime pellucida, inhaeret—, scleroticam Graeco nomine anatomici appellant. Altera membrana est choroïdes cui in priore parte iris, circulus subobscurus, inhaeret, in eaque media est pupula seu pupilla; quo foramine lux in oculum penetrat. Pupula nimia luminis copia contrahitur ne plurimi lucis radii in oculos incursent, cum vero exigua est, pupula dilatatur ut quam plurimos radios captet.

3. Crystallinus — ita appellatur quod glaciem seu crystallum quodam modo sua pelluciditate imitetur— post pupulam habetur, qui lentis biconve-

frigora caloresque in extremo tunicis...» (PLIN. *Hist. Nat.* 11, 37, 54 (147), ubi de tunicis seu membranis oculorum Plinius loquitur.

opticus: ex fonte Graeco ὀπτικός: 'ad visum pertinens'.

cornea [córnea-cornée-cornea]: «sic appellata quia est lamellae corneae tenuissimae similis» (PEXENFELDER, S. J. *Apparatus eruditionis tam rerum quam verborum per omnes artes e scientias*, Valentiae, 1798, p. 133). FORNARIUS (*Communia vitae*, Romae, 1931, p. 24) habet: «Ceras pars oculi est quae, a Graeco fonte, italiane nuncupatur cornea».

pellucida [transparente-transparente-transparente]: pellucidus 'est totus lucidus, lucem transmittens, translucidus' (cfr. FORCELLINI, s. v.).

scleroticam: a voce Graeca σκληρός, 'durus'.

anatomici: ἀνατομικός a v. ἀνατομή, 'dissectio'. «Cadavera dissecandi magister (*medico anatomico-Vallauri*); cadavera secandi magister, doctor, peritus, peritissimus. Graece: anatomicus» (BACCI, *Lexicon*, s. v.).

choroides [coroides-choroide-coroide]: a voce Graeca χοριοειδής (alii χοροειδής) = χόριον, corium, et εἶδος, species, figura; quasi 'similis corio, corii referens speciem'. Quam membranam describit DOLAEUS (*Encyclopaedia chirurgica rationalis*, p. 38, sqq.). Interdum vocatur etiam ab anatomicis tunica uvea (cfr. PEXENFELDER, *Apparatus*, p. 134): «quod uvae folliculo, cui pedunculus detractus est, assimiletur».

iris [iris-tris-iride]: Graece ἴρις, ἰδος, f., in oculo.

pupula - pupilla [pupila-pupille-pupilla]: cfr. «Actes ipsa, qua cernimus, quae pupula vocatur. Ita parva est ut...» (CIC. *Nat. deor.*, 2, 57, 142); «Palpebrae aptissimae factae et ad claudendas pupulas... et ad aperiendas» (CIC. *Nat. deor.*, *ibid.*); «Media eorum cornua fenestrat vit pupilla» (PLIN. *Hist. Nat.*, 11, 37, 55 (148)).

contrahitur: «Pulmones tum se contrahunt aspirantes, tum respiratu dilatant» (CIC. *Nat. deor.*, 2, 55, 136; cfr. etiam *ibid.* 2, 54, 135).

3. **crystallinus** [cristalino-cristallin-cristallino]: χρυστάλλινος, crystallinus, 'ad crystallum pertinens'; est vox anatomicorum propria, (cfr. L. RIVERI, *Consilarii medici ac professoris regii opera Medica Universa*, Genevae, 1728, p. 198).

pelluciditate [transparencia - transparence-trasparenza]: cfr. «Parietes... ita tectoris operibus expoliti, ut vitri pelluciditatem videantur habere» (VITRUV. 2, 8, 10).

lentis [lente-lentille-lente]: vox inter opticos communis, cfr.: «Gli ottici per similitudine colle lenti civaie, chiamano «lente» quel cristallo o concavo o convesso fatto per aiutare la vista» (O. PIANIGGIANI, *Vocabulario etimologico della ling. italiana*, Milano, 1937, s. v.); «Lente [1708, Tosca], tomado del lat. lens, tis., 'lenteja', por comparación de forma» (J. COROMINAS, *Diccionario crítico etimológico de la lengua castellana*, Gredos, Madrid, 1956, s. v.). «Lens, entis, f. (*legume*). Lens vitrea, vel lens crystallina (Vallauri) = lente di vetro o di cristallo» (BACCI, *Lexicon*, s. v.). «Lenticula, discus vitreus» (WAGNER, *Dict. rerum recentissimarum*

xae speciem prae se fert et lucis radios, qui per pupulam intrant, contrahit et cogit.

Umor aqueus — ab aquae similitudine — in priore oculi parte situs,umor vero vitreus, qui crystallino subest, lucis radios in membranam reticulatam cogunt. Ut autem rerum imagines in membrana reticulata clare imprimantur crystallinus in varias mutatur formas, quo oculorum accommodatio efficitur.

4. Tunica reticulata est oculi pars sensibilis, intimam oculi partem convestiens in qua cellulas sensibiles exstant; impressionem vero, quam lux in has cellulas efficit, nervus opticus in cerebrum transmittit, quo conscia fit visio.

5. Qui oculis male afficiuntur his nominibus vulgo appellantur: caecutiens qui male vidit; caecus qui oculorum visu privatur; luscus — qui et unoculus et cocles — altero oculo captus; strabo distortis oculis cernit et paetus

Hungarico-Latinum, (Budapest, 1937, s. v. *lencse*). Cfr. PALAESTRA LATINA, 2 (1930) 27, ubi in describendo microscopio *lens* adhibetur.

biconvexae [*biconvexa-biconvexe-biconvessa*]: qui latine scripserunt de lentibus convexis et concavis loquuntur. Sed nulla adest ratio qua — necessitate prorsus coacti — a verbis *biconvexis* et *biconcavis* absteineamus cum multae sint voces quae praefixo *bi-* (raro *bis-*) incipiant: cfr. *bi-ceps*, *bi-cornis*, *bi-clinium*, cet.

radios [*rayo-rayon-raggio*]: «Ob similitudinem transfertur ad splendorem, qui e sole, stellis, igne et huiusmodi emittitur» (FORCELLINI, s. v.): «Quem ad modum stellae in radiis solis, sic istae (*accessiones*) in virtutum splendore ne cernantur quidem...» (CIC. *De fin.*, 5, 24, 71).

umor aqueus — umor vitreus [*humor acuoso, h. vitreo - humeur aqueuse, h. vitrée - umore acquoso, u. vitreo*]: cfr. anatomicos: L. RIVERIUM, medicum, op. mem., p. 198-199; JOH. DOLAEI, *Encyclopaediae chirurgicae rationalis* lib. I, p. 34 sqq.

membranam reticulatam [*retina-rétine-retina*]: *reticulatus* a Plinio (*Hist. Nat.* 9, 33, 53, (103) adhibetur (cfr. etiam VITRUV. 2, 8, 1; VARR. *R. R.* 3, 7, 3) Desunt in lexicis et glossariis «reticularis», «retiformis», «retina», quae ab anatomicis saepe usurpantur; cfr. locos supra memoratos L. Riverii et Dolaei, qui

p. 34 scite: «Dicimus ergo oculum non inconcinne alias conspicio seu tubo optico comparandum, si demas tunicam *retinam* dictam, esse parvulam cameram obscuram, et omnibus numeris absolutam, non hominis artificio, sed ejus Opificis nutu et consilio inventam et fabrefactam». PEXENFELDER saepius adhibet «reticularem»; pag. 34 'retinam', pagina vero 109 'reticulatam'. BIONE (*Vocabulario della l. latina*, Milano, 1943, s. v. Ital. *retina*): «retina, ae f.».

4. **sensibilis**: cfr. de hac voce FORCELLINIUM et BACCIUM (*Lexicon*, s. v.).

cellulae [*célula - cellule - cellula*]: vox ab antiquis usurpata, sed novo sensu a biologicis ditata.

impressionem: ad novam significationem hanc quoque vocem recentiores deduxerunt; eadem ratione ac verbum *imprimere* (cfr. BACCI, *Lexicon*, s. v. *fotografia*): «Imago luce impressa; imagines ope lucis imprimere; ars imagines ope lucis imprimendi», cet.

5. **strabo** (graece *στραβών*) [*bizco - louche - guercio*]: Cfr. «Uni animalium homini depravantur (*oculi*), unde cognomina Strabonum, et Paetorum. Ab isdem qui altero lumine orbis nascerentur: qui parvis utrisque, Ocellae; Luscini injuriae cognomen habuerunt» (PLIN. *H Nat.* 11, 37, 55 (150)).

leviter tantum obliquatis; myops non nisi res proxime oculis admotas distincte videt; luscitiosus qui caligat seu non vidit nisi ad lucernam; lippus cui oculi lacrimantur; nyctalops qui nocte hebetioribus est oculis.

6. In oculo bene affecto et quieto radii lucis paralleli in membranam reticulatam confluunt in eaque rerum imagines conformantur; in oculo vero myópe radii reticulatam non attingunt paralleli sed inflectuntur et ideo oculus myops res propinquas, non vero distantes, percipit. Quae oculorum defectio lente divergente corrigitur; senum vero seu presbytarum vitium — eorum qui res propinquas difficile cernunt — lente convergenti juvatur. Lentem convergentem⁵ sunt: biconvexae (A), planae convexae (B), concavae convexae (C); lentem vero divergentem⁶ sunt: biconcavae (D), planae concavae (E), convexae concavae (F); quae multis modis structae in corrigendis oculorum defectionibus et ad clariorem et subtiliorem visionem efficiendam adhibentur.

7 Medicus oculus perfectissimis instrumentis oculos male haben-

myops [*mtope - myope - losco, miope*]: «qui adeo infirma est oculorum actio, ut nisi proxime admotas oculis res cernat; cernat autem, etsi minima sint: longe autem posita, non cernat, quamvis grandiora: quasi μύων ὄπας *claudens oculos*, quia huiusmodi prope connivere solent, ut videant» (FORCELLINI, s. v.).

nyctalops [*nictalope - nyctalope - nitalope*]: «est qui vespere et noctu parum aut nihil videt: ὁ τῆς νυκτός ἀλόος, ut ait Galenus. Est autem vox Graeca a νύξ, νυκτός *nox*, et ὄψ, ὀπίος *oculus*. Latine *lusciosus* dicitur» (FORCELLINI, s. v.).

6. paralleli [*paralelo - parallele - parallelo*]: *parallelus* est apud Plinium (*Hist. Nat.* 6, 33, 39 (211) et Vitruvium, 5, 6, 1: «Ab eo loco per centrum *parallelos* linea ducatur». Bacii (*Lexicon*, s. v.) praeterea proponit: «aeque distans; paribus intervallis distans; paribus intervallis dispositus...».

lente divergenti: a verbo *devergo*, 'vergo, deorsum inclinor'; quia lente divergenti radii disperguntur.

presbytarum [*présbita - presbyte - presbite*]: πρεσβύτης = 'senex, qui procul distantia videt'.

convergenti: a verbo *convergo*, 'simul vergo'; cfr.: «Cujus (*circuli*) in medio punctus est

quo cuncta convergunt, quod centrum geometrae, Latini punctum circuli nuncupant» (ISID. *Etymol.* 3, 12). Cur myopes lentem divergentem seu concavam presbytae vero convergentem seu convexam adhibeant perspicue, illa qua vixit aetate, Lazarus Riverius medicus (*Opera Medica universa*, Genevae, p. 195): «Adde quod a longa capitis inclinatione, quae vitae decursu fit, vel in legendo, scribendo, vel alta negotia tractando, humor crystallinus sensim ad anteriora vergat. Haec demonstratur usu specillorum, si quidem myopia laborantes juvantur specillis concavis, a quibus radii specierum visibilibus disperguntur, sicque efficiunt ut conus pyramidis longius protendatur, atque adeo res, quae ob distantiam majorem a myopis percipi non poterat, postmodum percipiatur; protenso nimirum pyramidis cono usque ad crystallinum, qui antea in pupilla vel humore aqueo seu albugineo desinebat. Senes contra juvantur specillis convexis, quibus radii ununtur et conus pyramidis abbreviatur, atque ita res propinqua melius cernuntur, quarum conus antea crystallinum pupillae propiorem transgrediebatur».

7. medicus oculus [*oculista - oculiste - oculista*]: sic apud Celsum (6, 6, 8), in Inscriptionibus, cet.; interdum et *ocularius* tantum.

tium inspicit et perscrutatur; dioptrias astigmatismi et aliorum vitiorum emittitur et praescriptum in schedula scribit, ex qua oculariorum opifex vitra ocularia² fabricatur. Quae vitra ocularia jam pridem in usu fuerunt nostraque aetate multiplicis sunt generis²⁻⁸⁻¹⁰ et figurae ac multimodis appellantur. Sunt qui monoculo¹ utantur, saepius tamen bina ocularia adhibentur, vitra-

dioptrias [*dioptria* - *dioptrie* - *diottria*]: dioptria est unitas ab oculariis usurpata; a vocibus Graecis *διά* et radix *ὄπ* quasi 'trans video'.

astigmatismi [*astigmatismo* - *astigmatisme* - *astigmatismo*]: a vocibus *ἀ-στίγμα*, *punctum*, quasi 'non in puncto', quia lucis radii non in uno oculi puncto incidunt, convergunt.

praescriptum [*receta* - *prescription* - *ricetta*]: «saepissime est praescriptio, lex, norma, regula, ordine, dato precepto, regola, norma» (FORCELLINI, s. v.), unde apte dicimus *medici praescriptum*, (cfr. BACCI, s. v.). —Praescriptum LAZARI RIVERII audit: (Op. mem., p. 202): «Praeterea visus conservationi plurimum conferunt specilla, quae objecta, prout naturaliter se habent, neque majora neque minora repraesentant. Nec non utile est per vices specillis viridibus aut caeruleis visum recreare».

oculariorum opifex [*óptico* - *lunetier* - *occhialaio*]: qui fortasse, ut apud Hispanos, et *opticus* dici potest; cfr. COGNASSO (*Il Latino*, s. v. *occhialaio*): «perspicillorum o ocularium institor o opifex».

vitra ocularia [*anteojos*, *lentes*, *gafas* - *lunettes* - *occhiali*]: COGNASSO (*Il Latino*, s. v. *occhiali*) habet: «perspicilla, vitrea ocularia, visus adminicula (n. pl.)»; BINI (*L'uso vivo della l. latina*, s. v.): «vitrea adminicula visus»; BIONE (*Vocabulario*, s. v. *occhiale*): «vitrum oculare, perspicillum»; *occhiali*: 'perspicilla'; QUICHERAT (*Dict. franc.-lat. s. v. lunettes*) apud Ducangium (?): «perspicilla, par oculariorum»; GOELZER (*Dict. franc.-lat. s. v.*): 'perspicilla'; LURZ (*Societas Latina*, 1952, p. 4, s. v. *Brille*): «vitrum oculare, perspicillum»; ZENONI: 'conspicillum'; DUMAINE (*Conversat. latines*, p. 288): 'ocularia, orum'; MIR, *Nova et vetera* —opusculum—, Barcinone, 1949, p. 16-17-19): 'ocularia, orum, n. pl.>'; BACCI (*Lexicon*, s. v.): 'vitra ocularia'; *conspicillum*, *conspicillum* non probat,

quia est «locus unde aliquid conspici solet» (cfr. FORCELLINI, s. v.; ibidem Forcellinius adnotat: «Porro frustra sunt qui putant hac voce significari vitra ocularia, quorum usus ne cognitum quidem illorum temporum hominibus fuit»). «Ab aliis denique —ait Bacci— ponitur: perspicillum; perspicilia. Vox est tamen infimae latinitatis» (*Du Cange*)... —Cum vero plurima sint hujus generis instrumenta optica, voces quoque ad singula instrumenta designanda habeamus oportet ne confusio suboriat. Difficile autem est vocabulum *perspicillum*, quanquam cadentis Latinitatis, respuere, cum aliarum vocum inopia laboremus et *perspicillum* multorum scriptorum auctoritate innitatur. Itaque nisi doctores validiorem referant sententiam, haec vocabula, his connotata sensibus adhiberi posse censemus: 'specillum' (4): ['instrumentum chirurgicum ad exploranda vulnera, ad inungendum, tergendum,' cet. cfr. FORCELLINI, s. v.]: *lupa*, *lente manual*; 'vitra ocularia' [quae saepe simpliciter 'ocularia' dici poterunt, cfr. supra DUMAINE, MIR]; *lentes*, *gafas* - *lunettes* - *occhiali* - *Brille*; 'perspicillum speculatorium': *antejo de larga vista-longue-vue* - *cannocchiale*, uno tantum tubulo instructum: 'perspicilla speculatoria', n. pl.: *anteojos*, *gemelos* - *lorgnette* - *cannocchiali*, quae binis tubis instruuntur; fortasse eadem esse possunt ac 'perspicilla castrensia seu theatraia', cfr. infra. Haec tamen differunt a 'telescopio'; nam licet telescopium ex vocis etymo instrumentum opticum significet quo 'res longinquas videmus', tamen apud omnes gentes propriam habet significationem et instrumentum designat 'ad res maxime distantes perspicendas': distinguamus igitur oportet inter 'telescopium' et 'perspicillum speculatorium' (BACCIUS, *Lexicon*, in vocibus *cannocchiale* et *telescopio* habet: 'telescopium').

monoculo [*monóculo* - *monocle* - *monocolo*]: 'monoculum' est idem ac 'unoculus'; vox hy

que aut ponte tantum instruuntur, quo naso¹⁰ adhaerent, aut vitra fultura circumducuntur virgulisque ad aures suspenduntur¹¹.

8. Ad opticam quoque spectant: reticulum⁷, —perspicillis speculatoribus astronomicis et terrestribus in primis aptandum—, quod ad lineam dioptricam statuendam et ad res distantiasque subtiliter emetiendas inseruit.

Caleidoscopium, quod cum versatur, variae diversae magnitudinis et figurae species effinguntur.

Stereoscopium⁹, quo duplicem imaginem planam binis oculis inspectam ectypo ornatam videmus.

9. Perspicillo res minore distantia aut majore magnitudine, quam praeditae sunt, cernere possumus. Perspicillum astronomicum —quod vulgo telescopium— rerum imagines maxime amplificatas sed inversas praebet; terrestri vero imagines minus amplificatas rectasque exhibet. Perspicilla speculatoria³ duobus constituuntur Galilaei perspicillis ita ut cuique oculo specillum

brida, et 'qui unum habet oculum' significat. Sed haec vox alto sensu apud recentiores augetur et significat 'vitrum oculare unius tantum oculi,; ad quam rem designandam vocabulum 'monoculum' (intellege 'vitrum') aptum prorsus videtur.

bina ocularia: 'vitra ocularia' cum ad binos oculos aptentur plurali numero effertur oportet, quae et 'par oculariorum' a Ducangio (cfr. QUICHERAT, *Dict. franc.-lat. s. v. lunettes*) et 'par ocularium' a Cognasso (*Il Latino, s. v. occhiale: un paio di occhiali*), et 'binoculare' a quodam scriptore dicuntur.

fultura [*montura - monture*]: 'fultura' legitur apud Columellam (R. R. 1, 59) et est idem ac fulcimentum, 'quod aliquid fu'cit et sustinet'; cum autem id quod designare volumus (= *montura*) ocularia quodam modo fulciat, sustineat, contineat, circumducatur, aptam ad rem vocem censemus; fortasse et 'crusta' quibusdam placeat. —In *Juventute Hungarica* (23 (1938) 29) legimus: 'perspicillum lamellula aurea circumcinctum' (*monture - Einfassung*); sed *lamina* crasior et durior est et in latitudinem ducta neque 'braetrea, bracteola' apta videtur.

virgulis [*varillas - branche*]: aptior non suppedit vox; doctiores viderint.

8. **reticulum** [*reticulo - réticule - reticolo*]: quae vox, circolo, qui quasi reti contextitur, aptissime est accomodata.

lineam dioptricam dixi quam vulgo *visual - rayon visuel* appellamus; 'dioptricus' (διοπτρικός) enim est 'res apta ad remotiora spectanda'.

caleidoscopio [*calidoscopio, caleidoscopio - caleidoscopio - caleidoscope*]: a voce *καλός - εἶδος - σκοπέω*, 'quasi pulchras figuras cerno'.

stereoscopium [*estereoscopio - stéréoscope - stereoscopio*]: a vocibus gr. *στερεός - σκοπέω*, 'quasi solida, ectypa video'.

9. **perspicillo** [*anteojo - lunette, longuevue*]: cf. supra n. 8, *vitra ocularia*.

perspicillum astronomicum - telescopium: a vocibus *τῆλε, longe, σκοπέω*: 'quasi longinqua prospicio'.

perspicilla speculatoria [*gemelos - jumelles - canocchiali*]: 'speculatorius': 'quo speculamur, intuemur, contemplamur'; perspicilla dixi, quia binis tubis instruuntur.

specillum ocularium [*ocular - oculaire - oculare*]: in altero PALAESTRAE LATINAE fusciculo (1 (1930) 27) microscopium describitur ejusque praecipua vocabula proponuntur latine; quae tamen FURNARIO, *Almae Romae* tunc moderatori, parum sunt probata (cfr. *Alma Roma*, 17 (1930) 196, et responsum: PALAESTRA LATINA, 1 (1931) 94). P. Ildephonsus GONZALEZ *ocularium* proponit, FURNARIUS vero *speculato-*

ocularium aptetur, vulgo perspicilla castrensia seu theatralia appellant. His similia sunt prismatica quae intra tubulos prismata continent et lucis refractione res magnopere amplificant.

10. Microscopium¹¹ est instrumentum opticum rebus perquam exiguis perscrutandis; quae enim nos oculis cernimus, mira magnitudine microscopio amplificantur, et plurima, visui impervia, conspiciere possumus. Microscopia simplicia una lente convergenti constituuntur, perfectiora vero duobus aut pluribus lentibus biconvexis quae specillum ocularium et specillum objectûs vocantur. In disciplinis geologicis, physiologicis, anatomicis, cet. ad vitam in primis et structuram minimorum corporum explorandam maximi est usus et momenti microscopium.

Praecipuas voces, quae in microscopio tractando tibi aliquando commo-
do esse poterunt, tolle memor:

ocularium [specillum], *ocular*
tubulus versatilis, *tubo estirable*
tubulus fixus, *tubo fijo*
verticulum, *revólver*
specillum [lens] objectûs, *objetivo*
catinus, *platina*
speculum, *espejo*

coclea, tornillo
fulmentum, pes, pie
réchamus, cremallera
rota dentata, piñón
praeparatio, preparación
micrometricum, micrométrico

rium vitrum, speculatorium: quae tamen voces nimis vagae videntur ad rem designandam cum in re optica 'speculatoria vitra' multa esse possint. Si cui tamen —ut Fornario— *ocularium* non placet, fortasse *lens ocularia, lens ocularis* vel potius *specillum ocularium* probabuntur, quod facile — ut plerumque fit— in *ocularium* desinet. Tamen ab ea voce quae est *ocularium*, —sive alii vocabulo ut adiectivum conjungitur (*specillum ocularium*), sive ut substantivum sumitur (*ocularium* simpliciter)—, recedendum non esse censeo, cum multae sint res quae simili ratione designari possint, et ideo vocabulum est eligendum quasi technicum quod obvium ac prorsus intellectu planum omnibus sit.

perspicilla castrensia, theatralia [*anteojos de campaña, de teatro - lunettes de campagne, du théâtre*]: *castrensia, theatralis* habentur in lexicis.

prismatica perspicilla [*prismáticos - prismáticos - prismáticos*]: vox erulur a voce Graeca *πρίσμα*.

specillum objectûs [*objetivo*]: FURNARIUS (*Alma Roma, ibid.*) *objectivum* improbat; 'nonne

—ait— sufficiat *lenticula*?' —Hanc tamen minime sufficere arbitramur cum vox nimis vaga sit, —innumerae enim sunt in re optica *lenticulae*—, et de re prorsus technica agatur. Quodsi pura Latinitate obstricti ab inducendo substantivo *objectivo* recedamus —nam est infimae Latinitatis, fortasse objicient—, ad vocem seu locutionem deveniamus oportet, quae in praecipuis gentium linguis adhibetur: *objetivo - objectif - obiettivo - objective - Objektiv*, cet.: quae quidem locutio esse poterit: *specillum objectûs* (cfr. CORN. NEP. Hann. 5): 'Sarmenta in cornibus jumentorum deligata incendit... quo repente *objectus* viso...'; 'Translate est *id quod visui objicitur*', adnotat Forcellinius s. v.; ideo *specillum objectûs* erit 'specillum earum rerum quae visui objiciuntur', quod rei seu *objectivo* quadrare videtur; vel si mavis: *specillum, lens rebus objiciendis*; attamen in vulgari sermone has devitamus circuitiones.

Voces, quae in parvo vocabulario apponuntur, rebus optiis sunt accommodata et alibi, (cfr. PALAESTRA LATINA, 1 (1930) 27; 1 (1941) 94; *Alma Roma*, 17 (1930) 196) sunt ad trutinam revocatae; quae ceterum sunt intellectu non difficiles. J. M. MIR, C. M. F.

BIBLIOGRAPHIA

J. F. NIEMEYER. — *Mediae Latinitatis Lexicon minus* (fasc. 3. *clusarius-curia*) E. J. Brill, Leiden, 1956.

His, qui studia Latinitatis, praesertim mediae, colunt et exercent, pergratum erit tertium fasciculum operis quod inscribitur *Mediae Latinitatis lexicon minus* aliquot abhinc menses vulgatum esse. Quae sint hujus lexici virtutes alibi diximus (cfr. *PALAESTRA LATINA*, 25 (1955) 183). Illa in primis commemoranda est compendiaria ratio, cum maxima claritate conjuncta, illaque ponderata rerum amplitudo qua voces earumque sensus multis scriptorum locis saepe illustrantur et comprobantur, additis praecipuis fontibus et auctoribus.

Hunc dixeris mediae Latinitatis thesaurum, quem avide et studiose evolvamus atque effodiamus oportet; in his enim plagulis id ediscimus; linguam Latinam non languidam, non e vita discedentem — ut multi opinantur—, sed in novam se expandentem aetatem, in novam quasi ingredientem vitam — quae e multis novisque rerum et nationum institutis enascitur—; hisque rebus et institutis illa mediae aetatis lingua novas aptasque parat loquendi formas, quae, quanquam non semper purae et integrae sunt Latinitatis, tamen nobis sunt sedulo colligendae et ad obrussam exigendae; in his enim verbis luculenter ratio et forma faciendi vocabula elucet cum ex intimo sermone Latino saepissime educantur. Voces: *clusarius clausarius, coadunatio, coctorium, colatorium, collecta, collectaneum, collectarium, collector, colonica, comes, comitatus, commarchio, commarchium... cunagium, cuneus, curator*, cet. — ut pauca proferam exempla—, nonne aut novos exhibent sensus, qui in lexicis desiderantur aut sunt voces in linguam Latinam recens inductae, quibus aperte ostenditur qua via et ratione nova sint excudenda vocabula, cum opus sit, veteribus et mediae aetatis deficientibus?

Jos. M. MIR, C. M. F.

H. MENGE · H. MÜLLER — *Langenscheidts Taschewörterbuch der lateinischen und deutschen Sprache. Lateinisch-Deutsch; Deutsch-Lateinisch*, Berlin, 15. Auflage, 1955, pag. 407 + 428.

Societas libraria Berolinensis quae a conditore et moderatore *Langenscheidt* appellatur, centesimum a condita domo agit annum. Potissima sane causa est cur qui litteras colunt gaudio consociantur quo exultat sollemniaque agit domus *Langenscheidt*; nam toto illo temporis spatio naviter adlaboravit ut linguarum studiosis aptissima pararet discendi instrumenta, in quibus eminent quae *Langenscheidts Taschewörterbuch* vocantur, dictionaria maxime manualia linguarum classicarum et praecipuis recentioribus addiscendis; quibus addas oportet *Enzyklopädische Wörterbücher, Langenscheidt Schulwörterbücher, Lilliput-Wörterbücher, Der Kleine Toussaint - Langenscheidt, Toussaint - Langenscheidt - Aufbaukurse...*

Manualia in primis lexica summa diligentia sunt composita. Cum autem jam dudum apud Germanos lexicon Latinum desideraretur a Prof. H. Menge exaratum et ab H. Müller iterum recognitum, parvum quidem mole, sed scite, concinneque elaboratum, nunc quinto decimo iterum editur. Eo vocabula, quae ab scriptoribus aureae et argenteae aetatis sunt usurpata, continentur; in hac vero editione voces recentiores et quae ad mediam aetatem pertinent novique sensus adduntur pauci, qui stellula notantur.

Pars altera, quae Germanicas refert voces, discipulos praesertim in scriptiunculis exarandis maxime juvabit omnibusque commode erit. Non paucae proferuntur novae quae recentioribus aptentur inventis, ex quibus non nullae probari possunt, altae vero doctorum trutinam iterum sunt pensandae. Nam illae recentiores voces olim a *Societate Latina* Monacensi doctis viris sunt propositae quae disputarentur et in medium vocarentur, at in eadem *Societate Latina* quaedam sunt repudiatae. — Ceterum, cuique lexico, et Latino et Germanico, appendix de grammatica et sinta-

xi adjicitur, ex qua maximum alumni percipient fructum

Jos. M. MIR, C. M. F.

H. HAAS. — *Kurze Lateinische Grammatik*. 2 Auflage, F. H. Kerle Verlag, Heidelberg, 1948.

Nomen respondit rei; en grammatica Latina brevis, contracta, lucido ordine splendens, in qua ea omnia invenes quae necessaria sunt ad scriptorum Latinorum opera perlegenda, atque ad Latine scribendum. Cl. A. scribendam grammaticam suscepit necessitate compulsus, nam illis post dirum bellum annis, grammaticae tum cognitae atque probatae venales non prostabant; itaque, ratione habita optimorum de re grammatica scriptorum, hanc exaravit, quae necessaria tantum elementa complexus est. Hujus operis complemento aptissimo erunt libri illius corporis quod «*Heidelberger Texte*» inscribitur, quorum iudicia et superioribus fasciculis prodierunt et hoc in fasciculo prodeunt.

P. VERGILIUS MARO. — *Georgica - Aeneis in Auswahl*. Bearbeitet von Karl PREILENDANZ mit Einleitung von Karl MEISTER, F. K. Kerle Verlag, Heidelberg 1948.

Quid liber complectatur ipsa inscriptione patet: selecti nempe ex operibus Vergili flosculi: Quaedam enim e Bucolicorum I, II, V, VIII, libris excerpta sunt, quibus adde optima quaeque e Georgicorum libris I, II, III, IV atque Aeneidos delecta. Extremo operi nominum rerumque index adjungitur, in quo singula breviter describuntur. Notulae etiam adduntur criticae quibus Vergili textus ad obrussam exigitur. — Cl. v. Meister in prooemio legentem de Vergili vita et operibus breviter quidem, sed scite, sed vere, sed concinne edocet.

I. ERRANDONEA, S. J. — *Gramática sucinta de la lengua griega*. 4.^a ed. E. Subirana, Barcelona, 1955.

Quam linguae Graecae studiosis haec grammatica sit accepta, eo patet quod P. Errandonea, nobilissimus Graecarum Latinarumque litterarum cultor, illam quarto ediderit. Librum autem scripsit non ut alumnum doceat

sua cogitata graece exprimere sed ut illum juvet ad Graecorum scriptorum mentem, subtilius, verius, facilius callendam.

Ut verbis auctoris utar, potius quam erudire discipulum ad pulchellas sententias Graece scribendas, id vult, litteras Graecas discipulo pervias facere, quo legere quanto citius atque existimare possit primo quidem opera Xenophontis, Luciani, Sti. Lucae, deinde et Platonis, Demosthenis, Thucididis, poetarum denique Homeri, Euripidis, in primis autem Sophoclis. Quod ut assequatur, hic necessaria tantum elementa exponit. Quare illis relictis quae potius officunt quam prosunt, illa diligentius explicat atque evolvit quae penitiores rei notionem atque Intellegentiam praebent, ut sunt, ex. gr. ea quae ad vim modorum temporumque in lingua Graeca pertinent.

Ut patet, opus legentibus alumnisque maxime utile.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

A. G. AMATUCCI. — *Storia della Letteratura Latina Cristiana*. Seconda Edizione. Società Editrice Internazionale. Torino, 1955.

In vulgus emisit A. G. Amatucci hoc Litterarum Christianarum opus quod utilissimum maximi que momenti illis, qui ad haec studia excolenda operam dant, iudicamus.

Toto operis cursu cum expositione lucida atque ordine conspicuo fluidus et accuratus sermo mire consociatur. Post brevem praefationem (pp. III-V), quae inscribitur «Breve colloquio col lettore» — ubi de operis indice deque magno labore ad conficiendum librum collato agitur, (en Amatucci verba: «ma pensa al lavoro che ho affrontato nel leggere tutti gli autori di cui particolarmente parlo et tutti gli scritti filologici che cito»...) —, prosequitur introducto (1-21) quae magnam confert utilitatem ad opus intellegendum ac mente assequendum.

Opus quod in manibus habemus trecentisimis sexaginta sex constat pagellis atque in tres dispertitur partes: prima (pp. 25-133) a primis saeculis usque ad S. Ambrosii aetatem complectitur [Minutius Felix, Tertullianus, Cyprianus, Lactantius...]; altera vero (pp. 133-276) illud temporis spatium, in quo S. Ambro-

sus, Hieronymus, Augustinus, Prudentius floruerunt quodque aurea Christianarum Litterarum aetas appellatur, continet; tertia denique parte (pp. 276-354) de Christianis Litteris in Africa (s. V. et VI), Gallia, Hispania, Italia, disseritur; omnia summa eruditione et ordine tractantur. In opere haec in primis eminent: a) cl. scriptoris Amatucci amplissima miraque eruditio, quae ex annotationum copia, post capita allata, apparet; b) perlucidus, ut diximus, sermonis ordo, qui ex notulis in calce positus ut facilius lectoribus lectio evadat, notissimus est; c) cl. scriptoris summus denique labor, qui post diuturnos studii annos opus in lucem edidit.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

Q. HORATIUS. — *Auswahl aus seinen Dichtungen*. Besorgt von Hildebrecht. HOMMEL. F. H. Kerle Verlag. Heidelberg, 1950

Hujus libri prooemio scriptor rerum Horatianarum peritissimus existimator proditur. Auctor enim, librum de Horatio scripsit, cui est index: *Horaz; Der Mensch und das Werk*, Heidelberg, 1950, illiusque summæ capita in hoc prooemio brevi comprehendit. In eo dilucide, atque scientissime de poëtae vita ac philosophia, de amicis, deque ejus habitû corporis dissertit. Deinde compressè de poëmatum libris universe agit, et de singulis poëmatum generibus quae coluit de via et ratione versibus arte conscribendis, de monumento aere perennius in hominum memoria exacto, quaedam etiam de Germanicis translationibus atque de codicibus manu scriptis quibus Horatii opera continentur addit. Cl. A. illos libros legendos commendat quos optimos, in his quae ad Horatium spectant, existimat. Commemoratione digna est illa tabula qua poëmata, temporum et annorum ratione habita describuntur, illa etiam qua uno adspectu intuearis totum Horatii vitae cursum cum aequalium vitae cursu collatum, et index nominum, sive hominum, sive deorum, sive rerum quibus poëta carmina sua dicavit.

Dissertissime denique disputat de metris quibus usus est Horatius in versibus scribendis, quorum unumquodque exemplis illustrat. Prooemium absolvitur indice ac definitione eorum nominum ac rerum quae rei metricae

studiosis saepe efficiunt. Deinde ex Suetonio exscriptam leges Horatii vitam. Selecta tandem carmina, iambos, sermones, epistulas cum Arte Poëtica, nitidis typis excussa legere juvabit. Notulae «criticae textualis» quae dicitur, opus perficiunt. Operis complemento est libellus separatim editus in quo nomina et res, de quibus Horatius meminuit, apte illustrantur.

JACOBUS SIDERA C. M. F.

L. LUPO - A. RISICATO. — *Joannis Joviani Pontani de Sermone libri sex*. Lucani in aedibus Thesauri Mundi, Bibliotheca Scriptorum Latinorum mediae et recentioris aetatis, Veronae, 1954.

Hanc editionem curis et auspiciis Collegii, quod Societati Thesauri Mundi praeest, vulgatam, lectoribus PALAESTRAE LATINAE offerimus atque commendamus.

In opere enim *de sermone* ab antiquitatis studioso conscripto, cuius vitae usus amplissimus fuit, ut ejus litterarum classicarum cognitio, mirum in modum describitur, vir qui hominibus illius aetatis — id est ineunte saeculo XVI — optimum quasi exemplar et specimen visum est.

Qui vir, inter aulicos et assentatores positus, est plane «vir facetus», nova quadam virtute, quae a Pontano appellatur «facetudo», praeditus quique unam e praecipuis rationibus psychologicis Aetatis litterarum Latinarum renascentium tum temporis jam jam florentissimae praebet. Haec enim «facetudo» fundamentum facetiae seu artis facetiarum constituit, quam post Ciceronis et Quintiliani tentamina Pontanus primus instituit ad naturae metaphoricæ artis inventionem attingens.

Haec magna facetiarum et fabellarum collectio cum ex antiquitate classica tum e medio aevo vel e recenti aetate excerptarum, haec admodum varia hominum descriptio atque repraesentatio, hic tam vividum quam elegans dicendi genus, opus *de sermone*, quamvis adeo parum cognitum, unum e summis operibus litterarum Latinarum renascentium efficiunt.

Editio critica autographo scripto Pontani nititur quod in codice 3413 Bibliothecae Palatinae Vindebonensis asservatur.

M. MOLINA, C. M. F.

A. GARCÍA BELLIDO. — *Arte Romano*. Consejo Superior de Investigaciones Científicas, Patronato «Menéndez y Pelayo», Madrid, 1955, pág. 649.

Publicum Collegium, quod «Patronato Menéndez y Pelayo» inscribitur «Consilium Superioris Investigationum Scientificarum», officium sui munus exsequitur cum tradit studiosis culturae Graecae et Romanae quasi Encyclopaediam Classicam, quae magnifica voluminum serie ornabitur, in eaque res et fundamenta quae «Scientiam antiquitatis» attingunt, monographiis exponuntur.

Voluminum exaratio peritissimis cujusque disciplinae eruditis credita est. Hoc itaque primum de arte Romana volumen conscriptum est ab eximio professore García Bellido in Universitate Matritensi Cathedrali et Instituto Hispanici Archaeologiae Moderatore, quod opus, suo genere, amplissimum est omnium operum cum apud Hispanos tum apud externos de re archaeologica etiamnum conscriptorum. Professor García Bellido in archaeologiae provinciae maxime notus: indefessus est etiam viator ac praesens monumentorum et regionum, ubi cultus Graecorum et Romanorum floruit, cognitor et investigator, saepe fines Maris nostri cum Asiatici tum Africani perlustravit atque diutius est commoratus in Graecia, Italia, Germania, Gallia, Anglia, aliisque nationibus, in quibus exstant praecipuae investigationum sedes, ibique musaeis, collectionibus, archaeologicis est usus.

Fructus ergo impensae ac maturae laboris est hoc de Arte Romana volumen in quo de Arte Etrusca, architectura, sculptura, pictura, ceterisque artibus minoribus Etruscorum agitur (p. 3-79). Caput primum de origine, natura, indole artis Romanae cum arte Graeca collatae scitissima ac probatissima est introductio (p. 87-100). Praecipua laus hujus operis scriptori tribuenda in eo est collocanda quod quam plurima monumenta Romanorum investiganda ordine plane historico et chronologico, ita ut suo loco et aetate quodque monumentum investigatoribus appareat, disposuerit. Sapientia consilio capita sunt ita distributa: c. II Ars Romana a regibus regno expulsis usque ad extrema bella Hannibalica (p. 101-116), c. III Ars Romana a secundo bello Punico ad Au-

gusti apud Actium victoriam (p. 117-210), c. IV Augusti aetas (p. 211-276), c. V aetas Juliorum et Claudiorum (p. 277-304), c. VI aetas Flavio- rum (p. 304-334), c. VII Trajani aetas (p. 335-370), c. VIII Hadriani aetas (p. 371-416), c. IX Antonini (p. 417-462), c. X Severi (p. 463-492), c. XI tempora perturbationum militarium (p. 493-532), c. XII Tetrarcharum Imperium (p. 533-556), c. XIII Constantini aetas (p. 557-588), c. XIV A filii Constantini usque Theodosium Magnum (p. 589-636).

Operi finis imponitur indice generali nominum et rerum utilissimo: monumentorum interpretationes 1256 imaginibus photographiis illustrantur. Opus ergo, ut patet, et rei novitate et scriptoris probata auctoritate et impensi laboris gravissimo pondere in bibliotheca hominis studiosi antiquitatum classicarum ubique exstet oportet.

M. MOLINA, C. M. F.

GABRIELE NEPI. — *Note sulla pronuncia dell' «H» in Latino*. 2.^a edizioni S. T. A. S. C. Fermo, 1955.

Clarissimus scriptor G. NEPI, firmis lucidisque argumentis de litterae «H» apud Romanos appellatione universe, et singillatim in mediis verbis «mihi» et «nichil» disputat. Alii enim quos auctor vocat «michisti» enuntian- dum esse «michi (miki)» et «nichil (nikil)» contendunt. Alii vero (quos «miisti» appellat) dicendum esse «mii» «niil» volunt. NEPI animus legentis a «michistis» avertit et ad «miistas» et «niilistas» trahit.

Libellus et genere dicendi jucundissimo et pertractandarum rerum ratione (quo fit ut uno tenore legatur), hujusmodi librorum specimen est et forma

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

SOLON. — *Dichtungen. Sämtliche Fragmente*. Im Vermass des Urtextes ins Deutsche übertragen, von Eberhard PRIME. Griechisch und deutsch. Ernst Helmeran Verlag in München, 1945.

In hoc libello omnes, quae exstant, reliquae poematum Solonis colliguntur et in certum ordinem rediguntur, sive de re politica

sive de Musis vel de hominis aetatibus agunt, sive sunt poemata aliquibus viris illustribus dedicata, cet. In extremo libello ea quae de textu Graeco deque Germanicis translationibus disputanda sunt, expenduntur, atque notulae adduntur quibus singulae poematum reliquiae breviter illustrantur

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

CERTAMEN CAPITOLINUM VI, MDCCCCLV, curante Instituto Romanis studiis provehendis.

Ad legentium notitiam potius quam ad rationem criticam hujus bellissimi opusculi, nonnulla ex ipsis actis Certaminis Capitolini VI excerpere liceat.

A. d. XI Kal. Majas cum Urbis Natalis in aedibus Capitolinis celebraretur, exitus per vulgatus est certaminis, quod omnibus, qui novae Latinitati student faventque, Institutum Romanis studiis provehendis, Summo rei publicae litterarum artiumque liberalium Moderatore civitatisque Romanae Magistro auspiciibus, jam sextum indixerat. Certamen omnino XXXXIII pettores adierant, XXXVII nimirum ex Italia, unus ex Australia, unus ex Columbiana republica, unus ex Gallia, unus ex Melita, unus ex Americae Septentrionalis Foederatis Civitatibus, unus denique ex Hungaria.

Quorum libellorum cum virtutes penitus expendissent atque aestimassent, illum praeter ceteros quinqueviri (judices certaminis) insignem ex communi consensu judicavere, cui index «Novus gravitatis Magister», secundum autem tenere locum libellos, quorum alterum scriptor SILANUS inscripsisset, alterum «Itinerarium Septemtrionale». Hos praeter ceteros optimos duxerunt iudices, eosque ex aequo proximos urgere victorem.

Quinquevirorum collegium, scidulis resignatis iisdem sententiis inscriptis ac libelli, quos supra laudavimus, primum victorem JOSEPHUM MORABITO declaravit, qui libello certaverat cujus titulus *Novus gravitatis magister*; secundum vero HYACINTHUM GUALTIERI et ALDUM BARTALUCCI, quorum libelli *Silanus* et *Itinerarium septentrionale* inscripti sunt.

Duplicem praeterea dignitatis gradum quinquevirorum collegium constituit libellis quos praeter ceteros probandos censuerat: alterum

eorum qui cunctis sententiis, alterum eorum qui sententiis fere omnibus honorifica decorandi essent mentione. In numero prioris gradus fuerunt *Plestina clades post Flaminium caesum*, cujus auctor IGNATIUS POMA; in numero autem alterius gradus *Cogitatio in itinere dulcis*, cujus auctor ALBERTUS ALBERTINI; *Vis atomica utrum bonum an malum portendat*, cujus auctor GOODWIN B. BEACH; *Marifulcus*, cujus auctor MICHAELANGELUS PETRUZZIELO.

Hoc opusculo continentur tres libelli qui inscribuntur *Novus gravitatis magister*, Josephi Morabito (pag. 11-32), *Itinerarium septentrionale*, Aldi Bartalucci (pag. 35-43), *Silanus*, Hyacinthi Gualtieri (pag. 47-63) adeo pereleganter omnium iudicum sententiis conscripti ut praemia certaminis attigerint.

M. MOLINA, C. M. F.

J. LEBRETON — *La vida Cristiana en el primer siglo de la Iglesia*. Colección Labor, 1955. Pag. 205.

En novum officinae librariae, cui nomen est «Labor», opus molis quidem parvae, doctrinae vero theologiae solidissimum.

Propositum Patris J. Lebreton S. J. et consilium in opere conficiendo fuit de Vita Christiana in primo Ecclesiae saeculo, prout in «fontibus» divinis invenitur et ab eis profluit, disputare.

Hi tres sunt principales fontes quos cl. scriptor erudite investigat atque scrutatur: Christus, scilicet (Cap. I - II - III - IV, pp. 11-110) Paulus (Cap. V - VI - VII, pp. 111-187), Joannes (Cap. VIII, pp. 187-205).

Nobis videntur ab omni parte perfecta atque ad delectationem spiritualem lectorum aptissima et jucunda sextum et octavum capitulum ubi Vitae Christianae Doctrinam apud S. Paulum (Cap. VI, «La Vida Cristiana según S. Pablo», pp. 128-158) et S. Joannem (Cap. VIII, «La Fe y la Vida según el Evangelio de S. Juan», pp. 186-205) hujus operis scriptor explicare et ponderare conatur.

In his, quae pagellis 188-197 continentur, nobis visa sunt omni meditatione et commendatione digna.

Interpretatio e lingua Gallica in Hispanicam ab Henrico Bagué exarata, fluida etiam videtur et nobis maxime placet.

J. ARAMENDÍA, C. M. F.



SCHOLARES LINGVAE LATINAE COMMENTARIJ

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA

Pretium in Hispania et America: 15 pesetarum

Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN. II — (FASC. IV) — N. 8

M. DECEMBRI

A. MCMLVI

Iterum de certamine Latino

Saepe in hac —quae tua est PALAESTRA—, optime adulescens, de studio, quo scriptores Latinos perpetuo legeres, scripsimus. Quae vero legis non tantum comprehendere, sed et in mentem inducere et quasi in naturam tuam convertere debes ut optimas elocutionis virtutes assequaris: quo et tu recte scribere possis.

Lege, igitur, et scribe saepe, et ut monet Horatius (*Serm.* 1, 10, 72), «saepe stilum veritas» et assiduo labore et opera conforma.

Descende competitor in certamen quod omnibus pueris et puellis et adulescentibus qui, Latinae linguae addiscendae operam dant, est indictum.

In sedem PALAESTRAE LATINAE non nulla adulescentium scripta nuper missa sunt.

Cum vero tempus certamini praestitutum quibusdam exiguum visum sit, ad diem 6. mense martio, qui est pridie nonas martias, anno MCMLVII protrahimus, quo facilius scripta vestra exarare et perpolire possitis.

Id a vobis petimus ut leges, quae petitoribus sunt constitutae, sedulo —ut praemia assequamini— explere curetis.

Nova advenerunt praemia quae libenti animo victoribus dilargiemur.

Strenue pugnate, adulescentes; pugnantes fortuna juvat!...

MEMORIA TENETE: Certamen Latinum pridie nonas martias a. MCMLVII finitur.

Esurientis bubonis fabula

Aetatem quondam degebat, in spissa silva, vetula et callidissima *Bubo*, cui nomen *Hoo*, et extrema fame afficiebatur. Quamquam noctes diesque in venando agebat, tamen septimum jam diem neque cuniculum venata erat, neque murem. —Quid ergo faceret?

Sub *Cava Arbore*, hoc domui ejus erat nomen, ei assidenti et de re meditantem mira cogitatio animum subit.

—«Diem festum, ait, agam et *Murem*, *Cuniculum*, *Lusciniam*, *Talpam*, *Sciurum* ad cenam magnam invitabo...». Proinde invitationem per litteras fecit; chartulaeque cursoriae his verbis scriptae erant:

BUBO CRASTINO DIE, PRIMA NOCTE AD FESTUM
SUB CAVA ARBORE LUSCINIAM VOCAT.

Nomine cujusque invitati inscripto in singulis litterarum involucris, id est, *Muris*, *Cuniculi*, *Talpae*, *Sciurique*, ad invitatos misit epistulas et responsum exspectavit.

Mus exsiliens laetitia, quia per totam vitam nulli interfuerat festo, gratias ex imo corde *Buboni* egit atque ad epulas se venturum promisit. Chartulam cursoriam *Cuniculus* iterum atque iterum legit. Cuidam festo olim interfuerat tantumque animum relaxaverat ut magno desiderio ad aliud festum invitari exardesceret; qua de causa ad cenam etiam se aditurum dixit.

Luscinia id pro certo compertum habuit: se ad festum, ut inter prandium modulate caneret, invitatum esse.

—«Ut canam, inquit, a me convivae postulabunt, ex quo, omnes qui mecum intersint convivio, maximam percipient voluptatem vocemque meam canoram, laudibus ornabunt». Ad cenam igitur venire et ipsa statuit.

Talpa, quamquam antea plurimis festis iisque magnificis et lautissimis adfuerat, cum illa nocte nihil haberet negotii, excipere invitationem cenaque adesse consilium cepit.

Sciurus autem, qui erat inter cetera animalia argutissimus, postquam bis terve cursoriam chartulam a *Hoo* missam, intento animo legit, veteres cum *Bubone* inimicitias et iras in memoriam revocans, —«Hic implicatus quidem, secum ait, est nodus...», et quis alter invitatus esset scire cupiebat. De re ergo ut certior fieret, deambulationem confecit. Cum autem compertum habuit *Murem*, *Cuniculum*, *Lusciniam*, *Talpamque* ad cenam quoque invitatos esse, in herba recumbens omnibusque bene circumspectis, stiligraphum sumpsit atque per epistulam, se festo etiam adfuturum, ad *Bubonem* scripsit.

Quo facto, amicos adiit dixitque se ad illos quaerendos, ipsa nocte conviviit iturum, eosque, priusquam luna exoriretur, ad viam paratos esse debere.

—«Quare, omnes interrogaverunt, quare antequam luna in caelo apparebit, festo nos adesse *Hoo* nonvult?» —«Nolite de hac re, amici, anxii esse.



Nocte ergo festi cum jam umbrae silvam operiebant, nondum luna et stelis ortis, socios *Sciurus* vocavit et. — «Omnes, inquit, usque ad *Cavam Arborem* perveniemus et, quid ad festum a *Bubone* nobis paratum sit, videbimus. Foramem quoddam, ait, in adversa *Bubonis* domus parte mihi cognitum est, ex quo si praesenti simus animo, omnia perspicue videbimus».

Viae igitur se commiserunt; silentio iter facientes, in *Cavam Arborem*, ubi festum agitaturi erant, cito

advenerunt, omnesque stantes, per foramem quod eis *Sciurus* ostendit, attentis oculis intuebantur.

Eo ipso tempore, cum luna omnia collustrabat loca, domus *Hoo* interiora invitati viderunt: magnum catinum cibis vacuum, aliosque quatuor catinulos etiam vacuos... — «Sed ubi sunt, *Sciurus* inquit, carnes, ubi lautissima cena a *Bubone* promissa...?». — Quinque amici per foramem adspiciebant...

Vobiscum cogitatis, curiosissimi pueri, quid viderint?

Bubonem Hoo cum aliis quatuor bubonibus viderunt.

(...— «Sedete, dixit *Hoo* sociis ejus, dum sapidissima cena apparatus...)

Mus interea, *Cuniculus*, *Luscinia*, *Talpa* *Sciurus*que animam continentis metu, ne respirare quidam audebant...

Fraus patefacta erat... Alii post alium e loco recesserunt periculoso: *Mus* in latebris se abscondit; *Cuniculus* praecipitem se fugae dedit; ad summam arborem *Luscinia* volavit; *Talpa* in ejus latibulum se abdidit. *Sciurus* vero omnem deponens in *Bubonem* metum, et fortem et strenuum se praebens, ex foramine, corpore humi demisso omnia prospectabat...

Quatuor tunc temporis *Bubones*, cum moras male ferrent stomachatique quod cena nondum apparata esset, in *Bubonem Hoo* irruerunt rabidique rostris illam crudeliter laceraverunt.

Quae omnia cum *Sciurus* vidisset:


— «Quomodo, dixit *Buboni*, apud te festum se habuit? Cum sociis magnopere oblectatus es, nonne?».

Bubonis vero responsum non expectavit, sed summam arborem ascendens, secum admodum ridebat, ridebat...

JESUS ARAMENDIA, C. M. F.



IVGVRTHA



5 PAUCIS POST DIEBUS, JUSSUS IN NUMIDIAM PROFICISCI ET ITALIA DECEDERE, ROMA EGRESSUS, RESPICIENS DIXISSE FERTUR: "URBEM VENALEM ET MATURE PERITURAM, SI EMPTOREM INVENERIT."

4 IMMO ET ROMAE, MAS SIVAM PATRUELEM PER BOMILICAREM MAXIME SIBI FIDUM INCONSULTIUS AGGREDITUR ATQUE ODTRUNCAT.

BELLO ITERUM COMMISSO, IUGURTHA, A MARIO DEBELLATUS, ROMAM POST VICTOREM VINCTUS INGRESSUS EST ET IN CARCEREM CONJECTUS.

7 UBI FAME ET AERUMNIS CONFECTUS E VITA EXCESSIT. ITA SCELERUM POENAS DEDIT.

J. Beruete

J. BERUETE, ADULESCENS, PINXIT

RIDEANT PUERI!...

LATRUNCULUS VAFER

Homo ad fraudem callidus nobilis viri domum ingressus, ad primum tabulatum audacter se contulit. Cum nihil ad suam utilitatem inservire cogitaret, erus obviam ei venit, qui ab eo, quonam iret, quaesivit. «Nonne, domine, nosti me? Pro famulis tuis laboro et munda reddo vestimenta». — «Quae, cum ita sint, vestem meam tradam, quam mundam efficias, rogo, nam eam oleo inquinavi». His dictis, ei vestem tradidit.

Celso-nae

NICOLAUS M. CABALLERO

—Irruens quidam in traminis currum assidentibus dicit: «animus defecit feminam in proximo curru. Habetne quis potionem coniacensem» (coñac)?

Unus ex eis lagoenam praebet, et ille libenter potat.

—Gratias tibi ago; ego videns feminam deficientem semper etiam in languorem incido...

B. M. FORCANO

Celso-nae.

PHILOSOPHIA PATRUM


12. Dum fueris Romae Romano vivito more.

Donde quiera que fueres, haz como vieres.

13. Auditor sapiat, quamvis dertisor ineptit.

Sea cuerdo el que oyó, aunque sea loco el que habló.

IN TABERNA VINARIA



—Legisne, puer, sine verbis?...

D. Ruiz, *adulescens, ptnxit*

SOLUTIONES (Cfr. PALAESTRA LATINA, a. 1956, Fasc. III, p. 191, 192)

AD SALTUM EQUI: *Nemo sine virtute beatus cogitari potest.*

AENIGMATA: 19: *Lana*


TESELLAE: *Cave canem*

CRUCIGRAMMA: *In transversum:* a) Mollesco. — b) Ortor. M. — c) Linter. N. — d) L. Auxere. — e) Es. Sima. — f) Sum. Sibi. — g) Cujus. II. — h) Os. Teres.

In perpendicularum; 1) Mollesco. — 2) Ori. Suus. — 3) Lina. Mi. — 4) Lotus. Ut. — 5) Erectisse. — 6) S. Remi R. — 7) C. Rabie. — 8) Omne. Its.

PICTURAE SIC IN VERBA CONVERTUNTUR:

SUB-LIM-I-TER. TER-GI-VER-SAN-TER



SCALAE SUBLIMES

- 1 – 2 Nuptarum ornamenta
 9 – 13 Absque
 10 Optas
 13 – 7 – 16 Remedium adhibe
 4 Age
 5 – 5 Sicut
 15 – 6 Nomen alterius regis Hebraeorum (*dempta littera extrema*)
 14 – 1 Terrarum orbis (*dat.*)
 8 Radix verbi diligendi
 11 – 2 Fructus (*gen.*)

* Si quae verba proponuntur in alia mutaveris ejusdem significationis, et syllabas per numeros apte diviseris, verba leges quae male habentes in Evangelio Domino dixerunt.

Celso

JOSEPHUS M. COLLELL

GARRULUS HOMO

Quidam homo, garrulus in dicendo, crebro domum adire solebat in qua ejus adventus minime probabantur. Ancillam, dominos domo egressos esse respondentem, simulabat se non exaudire. pedemque semper, ulla adhibita humanitate, domum inferebat his verbis:

– Bene se habet; cum pueris, dum parentes redeunt, colloquar, psittacum incommodis afficiam. Sic mihi occasio suppetet horae horologii componendae...

Quodam die, quo ancilla quid responderet constitutum habebat in animo, cum illum e longinquo venire vidisset, janua clausa, e fenestra dicit:

– Domine, et erus exiit et era, pueri sunt in schola, psittacus mortuus est, horologium autem effractum.

Sic, clausa fenestra, amplio rem sermonem garrulus ille in perpetuum habere non potuit.

RAIMUNDUS M.^a TORNER

Carolus Quintus rex Hispanorum atque Germanorum, olim per provinciam Germaniae iter fecit. Ibi Patrem Ordinis Fratrum Capulorum seu Capucinatorum vidisse dicitur cano capite atque rufa barba. Rex miratus est valde et: «Cur, Pater, inquit, tibi crines cani, sed barba rufa est?» Tum Pater Capucinus, qui satis cautus fuit, regi respondit: «Id est propterea quod capite plus quam dentibus usus sum». Responsum regi maxime placuit.

Post aliquot annos quidam legatus in palatium ejusdem regis inductus est, qui rufos crines atque albam barbam habebat. Cum rex eum vidisset, recordatus est explicationis Patris Capucini, et prius quam legatus aliquid dixit, exclamavit: «Eho!, virum habemus qui plus dentibus quam capite usus est».


L. LATKOVSKI, Prof.



Mihi subventel...



CRUCIGRAMMA



In transversum: a) Aquae. Narrare; b) Rodere-mus, c) Suppeditamus. Qui potestatem habet (dat.); d) Lege (*Litteris versis*). Coniunctio; e) Jus-tum. Coniunctio; f) Libra, Urceus Consonans; g) Littera e verbo «manducare». Aetoliae rex qui Lycormae flumini nomen dedit; h) Nixorum; i) Romanorum deus (*litteris versis*). E familia David; j) Abhorrentes. Praepositio. Contendo.

Ad perpendicularum: 1) Irrigare; 2) Gemma duris-sima. Funale; 3) Pars navium. Spiro; 4) Dies men-sis. Coniunctio. Consonans; 5) Metallum Nomen imperatoris Romani (*genit.*); 6) Littera ex «S. P. Q. R.» Ultima fidium chorda; 7) Tolle. Una (*pris-tina vox*); 8) Pertica seu sublica e qua rete suspenditur. Fortuna; 9) Contraharis. Adiectivum pos-

sesivum (*nom. plural. fem.*); 10) Aegyptio-rum dea (*genit.*). Pergo.

AD SALTUM EQUI

JU	LE	RE	IN	CON	SE
JO	MEN	JU	IN	BIT	ET
CI	RA	IN	NE	RI	SU
DA	CIS	FA	RA	CIS	QUI
QUI	RAT	JO	O	ES	IS
	CI	CAS	JU	IN	

Celsonae.

XAVRIUS PERNA

Esuriens dicit amico qui prandium sumit:

- Quid edis?
- Jecur.
- Da mihi aliquid!
- Non possum, nam sola ossa sunt:
- «Sero venientibus ossa!...»



L. LATKOVSKI

Quid dicit de Atila?

- Illum scio futūre barbarum.
- Nihilne amplius?
- Tibi autem parum videtur?

Celsonae.

J. MANCHO.



PUER, LEGISNE QUAE VIDES?

Mist
J. BERUETE,
adulescens

BIBLIOGRAPHIA

L. RUBIO. - V. BEJARANO. — *Documenta ad linguam Latinae historiam illustrandam*. Consejo Sup. de Investigaciones Científicas. Instituto Antonio Nebrija, Madrid, 1955.

Laude sane dignos Professores Rubio et Bejarano putamus quod ad cognoscendam et illustrandam linguam Latinae historiam documenta scripta cum sententis tum aetate magni aestimanda undique excerpserint et in volumen collegerint quod testimonia jam inde a saeculo VII et VI a. Chr. usque ad ortum linguarum Romanicarum complecteretur.

Praecipuum locum inscriptiones in volumine obtinent, nam, ut eorumdem professorum, qui haec documenta collegerunt, verbis utar, inscriptiones sunt «praecipua monumenta ad scientiam quam consequi desideramus, nam in inscriptionibus plerisque abest exquisita elegantia, abest orationis ornatus: accedit quod ad nos pervenerunt sic ut a prima manu ortae sunt, nam firma quae subest materies scripturae menda vel retractationes persaepe genuinam formam detorquentes non recipit».

En totius voluminis index: Praefatio (p. VII-VIII), Res bibliographica (p. IX-XI). I. Vetustissima documenta (p. 1-7). II. Saec. III a. Chr. (p. 8-10). III. Saec. II a. Chr. (p. 11-23). IV. Dialecti. Lingua Latina in territorio Italico (p. 24-39). V. Carmina sacra. Carmina popularia. Defixionum tabellae (p. 40-55). VI. Sermo plebejus in aurea aetate (p. 56-75). VII. Sermo legum et artium (p. 76-95). VIII. Inscriptiones vulgares (p. 96-88). IX. Inscriptiones Christianae (p. 189-194). X. Lingua Latina in regnis Barbarorum (p. 195-202) Indices opus coronant: I. Nomina (p. 205-208). II. Vocabula (p. 209-215). III. Grammatica (217-227).

Nemo non videt hanc veterum scriptorum excerpta litterarum Latinarum studiosis haud parvae futura esse utilitati

M. MOLINA, C. M. F.

DR. GEORG RATHKE. — *30 Stunden Lateinisch für Anfänger*. Langenscheidts-Verlagsbuchhandlung, Berlin-Schoeneberg, 1955.

Magnae certe utilitatis alumnis linguae Latinae studiosis liber a claro Doctore G. Rathke elaboratus, atque in seriem «Langenscheidts Kurzlehrbuecher» apte appositus. Ratio maxime commoda facilisque linguae Latinae addiscendae. Unaquaeque ex triginta lectionibus in sectiones A, B, C, D distribuitur, quae litterae aliquando numero 1, 2, 3, 4 ad calcem posito denuo dividuntur.

Sectiones 1A, 2A... 28A sunt faciliores textus, qui respondent primo libro Titi Livii. Sectio vero 29A carmen G. V. Catulli et fabulam Phaedri adhibet. Tandem sectio 30A textum A. Gellii affert. Textibus his omnibus vocabularium praecipuorum verborum, lingua etiam Germanica, subjungitur.

Consequuntur exercitationes, quae littera B norantur, quaeque sunt sententiae ex multis scriptoribus Latinis selectae: iisdem etiam vocabularium aptum annectitur.

Sectio autem C est tanquam punctum grammaticae ex analogia, *ratione et via*, assumptum. Ibi declinationes, conjugationes, praeterita, supina, cet. paulatim alumno a magistro proponuntur modo vere paedagogico.

Denique sectio D pars est syntaxis Latinae, quod suavius memoriae mentisque discipuli mandatur in Latinitate addiscenda. Unaquaeque igitur lectio, ut vides, doctrina et exercitatione constat; opus habes cum alumnis tum temporibus maxime consentaneum.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

ANDREAS THIERFELDER. — *P. Terentius Afer. Andria*. F. H. Kerle Verlag, Heidelberg, 1951, pag. 121.

Pulcher sane atque utilis hic erit libellus, ab extimo Prof. Dr. Andrea Thierfelder editus, iis qui litteris Latinis et Terentio praecipue operam dant.

Multa quidem —paucis pagellis— et varia a cl. scriptore exponuntur in ubere hoc opusculo et tractantur; et in primis de Comoedia Romana generatim (pp. 7-8), et de Terentii apud Suetonium et Donaum vita deque Terentiana bibliographia (pp. 9-18) aliqua breviter aguntur; luculenter deinde de *Andria*, usibusque grammaticae in ea praesertim adhibitis (pp. 19-42), singula diligenter considerata accurateque descripta; de modo dicendi litterario (pp. 42-51), de prosodia (pp. 52-59), de quantitate cum integro metrorum indice a Terentio in hac Comoedia adhibito (pp. 59-67), de actoribus deque spectaculi apparatu (pp. 68-70).

Haec omnia ad *Introductionem* pertinent.

Comoediae *textum* in postremo opusculo additur cum indice propriorum atque geographorum nominum (pp. 71-122), qui faciliorem Vitae et Terentii Comoediae lectionem certe reddet, denique pauca de Codicibus.

En tibi, lector humanissime, opusculum vere aureum quod cl. Dr. Thierfelder in manus tradit Latinae linguae studiosorum.

I. ARAMENDÍA C. M. F.

EDITORIAL SPES

Avda. del Gmo. Franco, 259 — Tel. 25 08 75 — Telegramas EDISPES
BARCELONA 13

Acrece su colección de Dicionarios con el

VOX

DICCIONARIO ABREVIADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA CON ILUSTRACIONES

Revisión y Prólogo por SAMUEL GILI GAYA

En este diccionario de 528 págs. de 10½ x 14 cms. más de 10 láminas fuera de texto de ilustraciones a todo color, compuesto primordialmente para los alumnos de Enseñanza Primaria, se han seguido las orientaciones de la moderna pedagogía y se ha observado un riguroso criterio moral en la selección de los artículos y en las definiciones, como obra destinada a los impúberes. Ostenta la Censura eclesiástica.

OTROS DICCIONARIOS DE LA EDITORIAL

- VOX. — Diccionario General Ilustrado de la Lengua Española. Prólogo de R. Menéndez Pidal. Revisión de S. Gili Gaya. 2.^a edición corregida.
- VOX. — Diccionario Manual Ilustrado de la Lengua Española. Revisión y Prólogo por S. Gili Gaya. Muy indicado para los alumnos de Enseñanza Media.
- VOX. — Diccionario Manual Francés-Español Español-Francés (con cuadros gramaticales). Para todos los grados medios de la educación. 2.^a edición corregida.
- SPES. — Diccionario Ilustrado Latino-Español Español-Latino (con un resumen de gramática latina. Prólogo de V. García de Diego. 3.^a edición corregida y ampliada.
- SPES. — Diccionario abreviado Latino-Español Español-Latino. 7.^a edición.
- PABON-ECHAURI. — Diccionario Griego-Español con Suplemento de Formas verbales y Apéndice gramatical. 3.^a edición.

EN LA EDITORIAL Y EN LAS PRINCIPALES LIBRERIAS
DEL MUNDO